

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Dissertationem Philosophicam De Nostra In Sacris
Cognitione**

Zülich, Friedemann Andreas Zülich, Friedemann Andreas

Jenae, [MDCCX?]

VD18 12772291

urn:nbn:de:gbv:45:1-14519

BONO CVM DEO
DISSERTATIONEM PHILOSOPHICAM
DE

NOSTRA IN SA-
CRIS COGNI-
TIONE,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
D O M I N O

GVILIELMO HENRICO
SAXONIAE DVCE ETC.

DITIONVM ISENACENSIVM HAEREDE,
INDVLTV

AMPLISSIMAE FACVLTATIS
PHILOSOPHICAE
IN ACADEMIA PATRIA

D. X. MAII A. D. H. M DCC X.

DEFENDENT

PRAESES

M. FRIDEMANN ANDREAS ZVLICH,
IENENSIS,


ET RESPONDENS

CONRAD CHRISTOPHORVS LINDE,
HOLZM. SAXO, PHIL. ET SS. THEOL. STVD.

I E N A E,

LITTERIS GOLLNERIANIS.







A. Ω.

I.



Rdua & acris aliquandiu controuersia inter celeberrimos pietate & doctrina viros exstitit de rerum salutem nostram aeternam promouentium vera cognitione, ratione originis potissimum & subiecti eiusdem. Cuius rei arbitrium vii penes summos utique virtute genuina & eruditione exacta Theologos est: ita a cathedra tamen Philosophica non duxi alienum esse, in mentis nostrae vires inquirere, num quidquam in illa reperiamus, capax per se cognitionis salutaris tantorum bonorum. Cumque inquisitionem hanc non parum ad veram eruditionem conducere perspicerem, ipse illi per non paruum temporis spacium tanto pertinacius inhaesi. Vnde quid profecerim, meum fuit, publice, tanquam impensorum temporis, atque operae rationes, DEO & erudito orbi plane exhibere, quorum iudicium tantum abest vt auerfer, vt potius eidem me cum meis hisce humillime submittam.

§. II.

Vt vero tanto felicius hoc negotium succederet, praemissis ardentibus ad DEVM precibus, quilibet intelligit, ante omnia fuisse necesse, tum cognitionis nostrae, tum eius, quod sacrum dicimus, naturam probe perspectam habere.

§. III.

Curae ergo mihi primae fuit indagare, quidnam illud
A fit

fit in nobis , quatenus vis , quae virtus , vel quae res , quae tot vndeunque aduenientes rerum species , an res ipsas , assequi , capere , & quasi imbibere , iudicio tam simplici quam relatiuo vestire & denique retinere possit ? Vti enim his cognitionem nostram constare , ita illud huius principium esse putabam. Vidi autem , illud non in materiali corporis mei parte consistere , praeterquam enim , quod materiam in se talem virtutem non possidere & calamus & charta mea probabant , & in mortui quoque hominis cadauere nihil tale inueniebam ; neque pes neque manus mea tale quid norant. Quae licet quandoque me inscio etiam bene quasi & recte quid gerant , id ramen vel adsuefactione , vel praecedente aliqua determinatione , vel alia quacunque mihi quae ignota causa fieri intelligebam potius , quam vt ex cognitione tali , qualem in capite meo obseruo , potuissim deriuare. Diuerso vero partium motui , aut colori motusque in nobis principio nihilo magis tribuere effectus tales poteram , quod nonnullos videbam velle. Quamuis enim verum sit , quicquid sensibus internis totique nostro corpori obuenit , omne continuis ductibus ad cerebrum perferri ; non tamen video adhuc , qua ratione , prodeunti inde isti spirituum promiscue adeo varieque motuum conciliabulo adscribi possit effectus , quem non nisi a causa aliqua firma , fixa & immutabili prodire posse in aprico est. Taceo belluas , in quibus similis machinae corporis constitutio non tamen effectum talem producit. Tametsi enim specimina intellectus alicuius edere videantur , non tamen saepe tam actio quam explicatio eius intellectualis est , licet alia etiam eius rei causa forte dari possit , de qua differendi alia occasione locus dabitur. Quid quod nec vllus ignis vel calor alias occurrat talium effectuum productor. In diuersa ergo ab his nostri parte , & quidem ea , quam rationalem dicere solumus , virtutem hanc , de qua disquirimus , principium nostrae



cognitionis, latere, vt colligerem restitit. Huius ergo quae-
nam natura sit, h. e. quomodo fiat vt illa ideas seu species
rerum intelligibilium (quas materiam esse nostrae cognitionis
supponebam) ita complectatur, inque se tam pulchre reci-
piat, hoc, inquam, si reperissem, de cognitionis natura et-
iam plus videbam mihi constiturum. Etenim cum mens no-
stra finita & intra corporis carceres clausa nihil quicquam
rerum ipsum praeter se comprehendat vere & reapse, & in-
numeras nihilominus res, & maxime eas quae sensibus mi-
nime obuiaae sunt, pro lubitu semper tractet, voluat ac con-
templetur, illud quidem maxime probabile mihi videbatur, res
extra mentem ipsam quascunque ipsi simili tantum modo ob-
uersari, ac res illuminatae speculo. Quod vero, cum parie-
te cui appensum, aut mensa cui impositum, nihil ideo doctius
sit aut sapientius, quod plurimarum rerum species continuo
recipiat; patebat, aliud quid requiri adhuc ad cognitionis
naturam, quam nudam rerum repraesentationem aut specie-
rum intelligibilium in cerebrum aduentum, idque tale, quod
attendere, fixas reddere, vincire has ideas, imo amplius po-
tis esset, vndeque prohiberentur, ne a mente nostra sicut a
speculo statim rursus diffluant, re quacunque alia interlaben-
te. Hoc igitur quidnam sit, vltius fuit inuestigandum.

§. IV.

Leue hoc videri poterat negotium, & ipse mihi prox-
ime locum, quo tendebam, videbar constitutus, dubiam ve-
ro admodum semitam & difficillimam rem reddere depre-
hensi sunt duces, quos, quo minus aberrarem, in itinere isto
accersueram. Primo quidem *Aristotelem* adii, cui plus suavi-
tribuere, quam hodie fere ipsi tribui solet. Hic si vsquam
alibi, hac sane ex parte difficilem se & morosum praestabat,
diutius tamen ei inhaerendo, instando, quaesitando, hanc

ipfius excuffi fententiam: Mens fcilicet, dicebat, licet (a) pars animae diuerfa fit ab illa, qua fentimus, quia non alius cuiuspiam animantis eſſe dicitur, fentire vero plurima quoque animalia fatendum eſt: cum tamen illa quoque a (b) natura proficiſci ſtatuenda fit, atque animae eſſe organum & inſtrumentum, aequae ac manus corporis, cum etiam actu recipiat imo formet atque abſtrahat ſpecies, i. e. communes rerum ſingularium per ſenſus oblatarum reſpectus & habitudines: neque ipſa omnino ſine (c) ſenſuum miniſterio proficiet, neque (d) illius influxu adeo vocabit id, quod ſenſum dicimus.

Anima

(a) *De anima* III, 4, 1, & II, 2, 20. eam aliud genus animae dicit, quod ſolum tanquam perpetuum a corruptibili ſeparari poſſit, de qua tamen nihil manifeſtum adhuc ſit. Ibidem etiam mens potentia ſiue facultas dicitur, vt & c. 3. & alibi paſſim. Ibi etiam textu 24. ipſam animam rationem quandam, λόγον & ſpeciem ſiue formam eſſe concludit. Caeterum Ariſtotelem ſiatiſſe mentes vna & aſtra e quinta illa eſſentia ſua profecta eſſe notat *Cicero Academ. quaef.* 2, 26.

(b) *Problem. ſect. 30. quaef. 5. De anima* III, 8.

(c) Ita *Analyt. Poſter. I, 13.* ait: ſiquis ſenſus deſit, neceſſario etiam ſcientiam deeſſe quandam; cum impoſſibile ſit vniuerſalia contemplari, niſi per inductionem, quae a ſingularibus incipit. Singularium vero ſenſus eſt non ſcientia *Metaph. VII, 15.* adhaec vniuerſalia non exiſtunt ſeorſim a ſingularibus, vti *Metaph. VII, 16.* aſſeritur, vnde etiam vniuerſalium ſenſus eſſe dicitur *Analyt. poſt. II, 19, 7.* non ſcilicet percipiens ſed perceptus, ſiue talis qui remota re ſenſibili in ſenſuum inſtrumentis remanet, conf. *de anima* III, 2, 138. praefens enim ſenſus ſingularium tantum eſt, & per hunc non eſt ſcientia. *Analyt. poſt. I, 31.* ita nempe vt, qui ſentit, ſciat, vel dum ſentimus ſciamus. v. *de Anima* III, 8, 39. & principium libri *de inſomniis.*

(d) Sic *lib. III. de anima c. 9. text. 41.* ait ſenſitiuam animae partem, nec vt expertem rationis, nec vt rationalem facile poni poſſe. conf. p. p. not. (i)

Anima ergo ita versatur circa rerum cognitionem: (e) Oblata re sensibili, cum sentit, uti (f) tum non sentire non potest, (g) fit quodammodo res sensibilis, vel (b) tale quid ac illa euadit, id vero etiam (i) vi aliqua iudicatiua, seu quaedam mediocritate & ratione, ut tanquam diuersa percipiat album ac nigrum, item album & humidum &c. Dum vero ita fit sensibile, non statim rursus id esse desinit, sed in producto ipsius (k) phantasmate memoriam eius retinet, quam dein saepius recolens (l) experientiam insuper fortitur, h. e. confirmatum eiusdem rei sensum. Cum vero sensus animae non nisi (m) per corpus competat, sequitur res non amplius esse sensibiles quam corporea organa istud admitti possunt, his vero (n) tantum percipimus, colores, sonos, odores, sapes, & quae tactu iudicantur qualitates, item communia illa sensuum obiecta, figuram, magnitudinem, motum, statum, numerum: ideo mere (o) sensuum opus non erit, quod substantiarum etiam, subiectorum, essentiarum, vniuersalium conceptus accipimus, quae cum, si sentiamus, saltem

A 3

tem

(e) *De anima* II, 5, 60. sentire, licet quis voluerit, in ipso non est situm, necesse est enim sensibile quoddam adesse.

(f) Inde dicitur sensus & sensibilis vna eademque esse operatio, i. e. simul in anima existens, *De anima* III, 2, 138. sq.

(g) *De anima* III, 8, 37.

(b) *De anima* II, 5, 62.

(i) Sic appellat sensum *Analyt. post.* II, 19, §. *De anima* III, 4, 10. II, 12.

(k) *De memor. & reminiscet.* c. 1.

(l) *Analyt. post.* II, 19, §. *Metaph.* I, t.

(m) *De sensu & sensibili* c. 1. sub med.

(n) *De anima* II, 6. & alibi quoque.

(o) *De anima* III, 4, 9. sq.



rem (p) per accidens sentire dicendi simus, vg. cum album Calliam videamus, album quid tantum videamus, cui accidat Calliam esse; alia sui parte animam eam assequi notitiam oportebit, qua album Calliae accidere iudicat, & ipsas rerum substantias discernit. Haec licet, vti dictum, naturalis etiam statuenda sit, communi tamen omnium consensu (q) sero admodum se exferere videtur, & (r) forinsecus nobis accedere. Certe vero ea est, quam homines prae omnibus animantibus praecipuam habent, quaeque etiam manus animae humanae est atque instrumentum. Vnde etiam (s) per eam sensibilia apprehenduntur, imagines formantur, memoria disponitur. Praeter haec vero & (t) his ita stantibus (u) species producuntur tales quae rem totam monstrant, h. e. quid res est, sistant; harum commune quodlibet abstrahitur, & ita vniuersalibus (x) patefactis scientia acquiritur.

Quo

(p) *De anima* II, 6, 65. III, 3, 161. Sic *Metaph.* XII, 7. τὸ δεκτικὸν τῶ νοῦ καὶ τῆς ἐσίας νῆς. *Mens suscipit intelligibile & essentiam.*

(q) *Polit.* VII, 15. *sub fin.* & alibi.

(r) *De generat. animal.* II, 3. *sub med.* VIDETUR tamen solum, quoniam non statim cognoscitur. Caeterum statim ad se illud oportebit, vt quo quilibet videtur esse. Sic enim *Ethic. Ni om.* IX, 4, 12. & 17. δοκεῖ τὸ νοῦν ἕκαστος εἶναι ἢ μάλιστα.

(s) Repete supra not. (c) & (d) allegata.

(t) *Physic.* VII, 3, 20. vbi dicitur: καὶ ἄδερμίαν δύναμιν κινηθεῖσαν ἐγγίνεται τὸ τῆς ἐπισήμης. ἀλλ' ὑπάρξαντι τινός. nullius facultatis motu antegresso scientia in nobis nascitur, sed vbi suppetierit aliquid. Sic *Metaph.* XII, 7. mens operatur habens.

(u) Τὸ τί ἦν εἶναι, quidditas rei, species & conceptus, quo scientia absoluitur *Metaph.* III, 3. non procul ab initio VII, 6.

(x) Ita loquitur *Analyt. post.* I, 31, 5. Ex pluribus particularibus vniuersale manifestum δῆλον fit, non acquiritur. Ita c. 13. negat nos

Quo (y) facto etiam mens ipsa sibi patefit, vel quidnam id fuerit, quod haec omnia apprehendebat & ita traclabat, nempe (z) ipsum quod ab ipsa noscebatur, vniuersale videlicet atque commune.

§. V.

His dictis obmutescere visus est nec verbulum amplius hiscere Aristoteles. Non quidem nihil dixisse mihi videbatur, diffidebam tamen etiam num, vtrum recte sententiam ipsius effem assecutus, & annon ante occupato palato meo ista ita sapere viderentur. Memineram olim ex ipso me audire contra Platonem assertum, quod (a) nihil possit actu in men-

nos vniuersalia *contemplari* posse, nisi per inductionem. Caeterum scientiam τῶν καθόλων καὶ τῶν τοιούτων vniuersalium, & eius quod tale est, esse asserit. *Metaph. XI, 2. sub fin.* Cum principium scientiae sit cognitio principii vel τῆς καθόλου *Ethic. Nicom. VI, 3. & 6.*

(y) Quando sciens dicitur *de Anima III, 4, 8.* cum per se operari potest, tum enim se ipsam tangit, & ita intelligit, *conf. Metaph. XII, 7.*

(z) Idem esse τὸ νοῦν καὶ τὸ νοούμενον asserit *de Anima III, 4, 15. Metaph. XII, 7. sub fin. & cap. 9.* Mens vero dicitur esse principiorum. *Analyt. post. II, 19. 8. Ethic. Nicom. VI, 6.* haec vero ipsa videntur esse vniuersalia, vtpote quibus per inductionem patefactis scientia oritur, & ex quibus demonstratio fit, vnde utique principium sunt scientiae, quod mentis est elogium *Analyt. post. X, 1.* Ea in ipsa quoque Anima quodammodo esse dicuntur *De Anima II, 5, 6.* perinde atque Mens a Natura animae data asseritur. *Problem. XXX, 5.* vnde etiam explicari potest, quomodo Mens *singula fieri* dicatur *De Anima III, 4, 8.* nimirum τὸ καθ' ὅλον secatum in τὰ καθὰ μέρος, (ita dicuntur singularia, vti passim, sic *Phys. VII, 3. 20. particularia* nimirum) fit *singula* & sic καθὰ μεταλήψιν τῶν νοητῶν *per assumptionem intelligibilis* se ipsam nouit Mens. Cum nimirum ob simplicitatem summam se ipsam ignoret, sibi patefit, vt primum se viderit in intelligibilibus.

(a) *De Anima III, 4, 5. & 14. Analyt. post. I, 13.*



mente existere , antequam ipsa intelligat , perinde vti tabulae nihil actu inscriptum inest. Imo quod mens nihil plane sit entium antequam intelligat , quodque sensu aliquo carentes rerum , quae per illum sensum alias deprehenduntur scientiam nunquam acquirere possint. Vbi tamen succurrebat , quod principia illa & vniuersalia animae suppetere *ἐντελεχεία* saltem & actu perfecto negarentur , potentia autem & actu quodam primo , imo forte in (*b*) vno quodam vniuersalissimo & simplicissimo , nihilominus adesse possent , cui vti que partes suae , & quae ipsi subordinata , non prius innotescere viderentur , quam in istas quasi fractum , aut inferiora illa ipsi adposita seque admensa fuissent. Verum in eo quoque difficultas latebat , quomodo mens manus animae sit & instrumentum , cum pars eiusdem , contradistincta sensitivae , diceretur. Illud quoque videbatur saltem minus accurate dici , quod vnum atque idem sit τὸ νοῦν & τὸ νοούμενον , cum illud a natura esse , hoc forinsecus & a disciplina accedere , esset fatendum.

§. VI.

Dubius itaque Aristoteles etiam me dubium dimisit. Certius igitur instrui optans , annon ex *Pythagorae* disciplina , plena alioqui bonae frugis & simplicis veritatis , id impetrare possem , quaesivi. Hic ita mihi responsum est : (*a*) Omnia

(*b*) Hoc vt inuestiget solus , ni fallor , Scopus est Aristotelis in suis de sapientia Libris , quos *μετὰ τὰ Φυσικὰ* inscripsit , dicit enim Sapientiam scientiam vniuersalem τὴν καθόλου ἐπιστήμην , & principiorum scientiam L. 1. c. 1. & 2. principia vero esse prima genera , & haec esse Ens & vnum III. 3. Porro vero I. 3. *prope fin.* dicit : qui intellectum siue Mentem *causam* esse dixerunt , vti in animalibus , ita in natura , sobrii prae aliis fuisse videntur. Conf. VI. 1. *fin.*

(*a*) Dictum Epicharmi Pythagoraei decantatissimum , v. *Porphyr. de vita Pythagorae sect. 46. Iamblichus de vita Pythagorica cap. 32. sect.*



omnia cum coeca & surda sint, sola mens est quae videt & audit, ac omnino sentit, omnia. Ea vero est (b) vnitas
 B vel

32. sect. 228. conf. *Plutarch. de fortuna Alexandri Orat. 2. p. m. 336. b.* Vbi dum sensus proprios dicitur habere impetus vel auersationes, non eo asseritur, separatam eius esse a mente naturam, sed ratio redditur cur sola mens sentiat, quia sensus non est sine auersatione eius quod displicet, haec vero non nisi intelligentis esse potest. Ceu id pluribus traditur apud eundem *Plutarchum* in *de solertia animalium*, vbi p. 961. a. hoc ipsum quoque dictum adducitur, vt quod comprobet, nihil sentire sine intelligentia. Equidem *Laërtius VIII, 30.* Pythagoram diuidisse scribit animum in *ἄν, θυμὸν, καὶ φρένας* & postremum homini soli competere. Verum vti non probabile *φρένας* Pythagorae idem fuisse, quod aliis *ἄν* dicitur, ita dubium quoque videtur, num istud assertum sit Pythagorae, cum quomodo id penes doctrinam de Metempsychosi stare queat, vix monstrari possit. Inde vero etiam Lux afferri poterit loco *Iamblichi c. 13. sect. 60.* quem caeteroqui intricatum Cl. Editor nuperus fatetur. vti & rursus nobis lucem foenerabitur.

(b) Ita *Plutarch. de placitis Philosoph. I. 3. p. m. 877.* vbi tamen quae addita est placiti huius dilucidatio, ipsius *Plutarchi* magis esse, quam e Pythagorica Philosophia petita videtur. Ita quando dicit, animam ex his quatuor constare, mente, scientia, opinione, sensu, id ita sumendum est, vt ex his non tanquam ex partibus, contrariisque constare, sed tanquam subordinatis absolui hisce censeatur. Etenim etiam *L. IV. c. 2.* ait: Pythagoram vocasse animam numerum se ipsum qui moueat, ita tamen vt numerus pro ipsa mente sumatur, mens autem sit vnitas. Licet haec etiam assertio Pythagoraeis magis quam ipsi Pythagorae tribuenda videatur. *Laërtius* enim *IX, 22.* Parmenidae istam tribuit thesin, quod mens & anima idem sit, Pythagoram autem *VIII. 28.* animam dixisse *ἀπόσπασμα* aetheris & calidi & frigidi annotat, Parmenidem vero Aristoteles quoque solum ait *vnnum* sumsisse tanquam *λόγον*. *Metaph. I. 5.* ita vt cum alii *vnnum* vt materiam vniuersi prodiderint, ipse

vel (c) sicut vnitas. (d) Vnum vero idem multa est, & multa

ipse omnia vnum esse *ratione aliqua*, respectu nostro & quatenus intelligibilia dixerit, adeoque mentem ipsum vnum esse, quod in omnibus est, Quod cum principium sit & moueat omnia, idem quoque erit quod anima. conf, *Metaph. I. 3. prope fin.* & *Aldobrandinus ad Laërt. IX. 22. 7.* vnde, cum hic maxime ad mentem respexisse videatur, eius placitis quoque potissimum hic inniti volui. Caeterum *Hierocles* etiam *ad Aur. Carm. p. m. 229.* quatuor istas iudicandi facultates, mentem, scientiam, opinionem, sensum ἐν τοῖς ἔσω esse dicit.

(c) Ita *Aristoteles Metaph. 1. 6.* Pythagoraeos ait dicere μήνησιν τὰ ὄντα τῶν ἀριθμῶν, entia esse imitationem numerorum. Et ita etiam *Porphyr. de V. P. Sect. 48. 49.* Pythagoraei ait, cum incorporeas species & prima principia verbis tradere non possent, ad demonstrationem per numeros confugerunt, sicut *Geometrae ad characteres.* Sicut igitur numerus quicumque vnum quid est, adeoque vnitas cum vnoquoque est numero, ita etiam vnum illud, quod in rebus singularibus deprehenditur, tale existere dicebant, vnitum partibus & conspirans, per praesentiam, μετασίαν, primae causae tanquam μονάδος. Verum vti aliis quoque variorum Scriptorum locis hoc Pythagoraeorum fuisse placitum comprobari potest, eos tamen hic non substituisse apparet, cum *Aristoteles* etiam *l. 2. c. 5. sub init.* dicat eos numerorum principia cunctorum esse principia asseuerasse, & *sub finem*, id ipsum eos, quod vnum atque numerum dicebant, substantiam rerum omnium appellasse. Et sic quoque *Iamblichus de V. P. c. 12. sect. 59.* Ens, secundum cuius μετασίαν omnia pulchra & ordinata existunt, τὴν τῶν ἀριθμῶν καὶ λόγων φύσιν nominat. Dum igitur res dicuntur imitari numeros, vel se habere sicut numeri, non id tantum dicitur, particulare quodvis vnitate quadam constringi, quemadmodum si tria numerando pronuncies, istud vnus quidam respectus ita copulat, vt quasi vnum tria, vel semel tria putentur (quod sane tolerabile esset secundum *Aristotelem Metaph. VIII. 3. sub fin.* & amplecti hoc quoque *Plato* videtur in *Philebo p. m. 74. e.*) sed etiam hoc, quod ipsa illa res ex illo, quo vna est, ita constituatur vt ipsa



ta vnum. Sicut igitur vnitas (e) principium est cuiusque
 B 2 nume-

ipsa eius substantia vnum istud sit. Vnde planum est, qua ratione
Aristoteles l. c. I, 6 μύμησιν Pythagoraeorum idem dicat esse, quod
 Platonis μέθεξις siue participatio, licet plus etiam videatur esse,
 Ce te aduersus Parmenidem Socrates sub initium *Parmenidis* Platoniani
 contendit, tolerabile fore, si omnia vnum esse κατὰ μέθεξιν dice-
 ret. Patefcit vero simul hinc quidnam sit ἡ φύσις τῶν ἀριθμῶν τε καὶ
 λόγων, quam dicit *Iamblich* .l.c. nempe ipsum vnum. Nota vero quod op-
 ponantur οἱ λόγοι τοῖς ἀριθμοῖς, non enim sunt ipsi numeri, οἱ λόγοι, sed
 aequiparantur iis, ac eisdem explicantur, & exprimuntur. Est vero λόγος
 apud Philosophos, quo res est id quod est, & praesertim apud Ari-
 stotelem saepe formam rei, atque id quod ei est esse denotat, saltem
 conceptu mentis nostrae. Vt autem res clarissima fiat, exemplo
 illo quod prae manibus est, eam demonstrabimus. Dicitur nimi-
 rum mens numerus, & nisi fallor, ille qui quatuor. Habet se hic
 vt numerus mens, & vt ille ita haec quoque est vnum simul at-
 que quatuor, nempe Mens, scientia, opinio, sensus; siue vnitas, bi-
 narius, ternarius, quaternarius. Vti vero quatuor quater vnum
 continet, ita hic etiam substantia horum idem illud vnum est, & vti
 haec inter se differunt, vt quod in primo semel est, in altero bis, in ter-
 tio ter, in quarto quater sit, ita eadem diuersitate idem vnum omnia
 constituit. Schema imitationis hoc est:

<i>Vnum</i>		<i>Vnum</i>		
Numerus		Mens		
QVATVOR	<i>Mens</i>	<i>Scientia</i>	<i>Opinio</i>	<i>sensus,</i>
I I I I	Mens	Mens	Mens	Mens siue
	Vnum	Vnum	Vnum	Vnum
1 2 3 4	semel { <i>Mens</i> Vnum	bis { <i>Mens</i> Vnum	ter { <i>Mens</i> Vnum	quater { <i>Mens</i> Vnum
<i>Quaternarius Virtualis</i>	<i>Quaternarius Virtualis.</i>			
Vnum	Vnum			

Sic etiam, si vnum est, necesse est numerum esse, ait Plato *Parmenid.*
 p. 62. a.

(d) Thesin hanc Parmenidi aperte tribuit *Aristoteles* *Metaph.*
 I. 3.



numeri, & vires omnium in se complectitur, ita mens est omnia intelligibilia. (f) Substat vero illi, tanquam binarius scientia, tanquam ternarius opinio, tanquam quaternarius sensus. Bis enim cum scientia mens est, tum in rerum inductione, tum in deductione. Atque vti binarius a monadis simplicitate ad infiniti naturam pedem profert, ita etiam scientia. Cum opinione vero (g) ter concurrit mens illa, accedente ad assumptionem & deductionem rei, contrarii praesumptione. (h) Sensus autem, sacra velut tetras, & continet antecedentes numeros, & illorum quoque fons est. Mens vero haec impeditis obsita & inquinamentis grauibus, vires suas exserere, prius non potest, quam ab iis (i) purgetur atque liberetur. Quod vti

1. 3. prope fin. c. 5. fin. & Plato *Parmen.* p. m. 55. e. vbi ipse quoque Parmenides eam vberius probans introducit. Vid. inpr. p. 61. d. & 62. a. Et inde etiam monas *Proteus* it. *ἀγυα quadrigae* apud istos dicta est, notante *Brodaeo Miscellan. V, 16.*

(e) *Hierocles ad aur. Carm. p. m. 226. Laërtius VIII. 25.*

(f) *Laërtius* ibidem notat dicere Pythagoraeos binarium *inde-terminatum s. infinitum* prodire *EX* vnitatem, atque illi vti suae causae tanquam materiam substat, ex vnitatem vero & infinito binario numeros. Quibus innixus haec ita explicavi, secus aliquantisper quam a *Plutarcho* erant praescripta, ex quo caeterum haec petita, *np. ex de placitis Phil. I, 3.*

(g) Non abhorrent hinc, imo illustrationis gratia conferenda sunt, quae habet *Plato in Philebo p. m. 83. e. f.*

(h) Sensus quater mens est, dum virtute sua mens est, atque & sentire & opinari & scire & intelligere continet atque generat. Sic enim quaternarius fons aeternae naturae dicitur, & *ἄκ ἐστὶν ἐπέειν*, inquit *Hierocl. ad aur. Carm. p. m. 229. seq. ὁ μὴ τῆς τετρακτύος ὡς ΠΙΖΗΣ καὶ ΑΡΧΗΣ ἡγεγῆται*, conf. *Theod. Marcilius ad aur. Carm. p. m. 373. seq.*

(i) De purgatione ista late *Schefferus de Natura & Constit. Phil. Ital. c. 9. p. m. 72. seq.*



vti (k) Philosophiae opus est, sic (l) sapiens iste existet, quis-
quis resolvere potis erit omnia genera ad vnum idemque prin-
cipium, & ex eo iterum componere & numerare.

§. VII.

Luce isthaec tanta radiare visa sunt, vt praestricta plane
oculorum acie quid obstaret iis nihil perspicerem, licet iis
tamen neque acquiescere plane mihi videbar. Interea vero
obuius mihi factus *Plato*, ille qui diuinus appellari meru-
it, (a) quis, inquit, persuadere sibi patiatur vnum esse multa,
B 3 &

(k) Porphyr. *de Vit. Pythag.* Sect. 46. Iamblichus Sect. 59.

(l) Sunt ipsa verba Perictyones Pythagoreae ap. Stobaeum,
serm. I. citata Scheffero l. a. c. 7. p. m. 50. 51. vbi tamen Auctor *Peri-
Eliones Pythagoricus antiquissimus* allegatur.

(a) Haec Socratis mens est in loco allegato *Parmenidis Plato-
niani*, eademque, vt in aliis, Platonis ipsius sententiam referre videtur.
Licet enim desinat, adeoque acquiescere videatur, ibidem in *Parmenidis*
responsionibus, apparet tamen *Parmenidae* isti bene conuenire in pro-
gressu orationis cum Socrate, vt adeo credam *Parmenidem* ibi aliter
non locutum, quam quidem per *Platonem* ipsi licuerit, adeoque *Plato-
nem* hic sub *Parmenidis* Persona suas opiniones explicasse, vt alias
sub persona Socratis, forte quoniam minus Socrates in hoc sublimio-
ris Philosophiae studio operae nauauerat quam *Parmenides*, licet in-
terim non intermiserit sub Socratis specie rationem sui a *Parmenide*
dissensus praemittere, & quatenus aliter placita ipsius explicet ita prae-
monere. Dissentire certe a *Parmenide* *Platonem* vel inde patet, quod
cum iste vi sui principii omnia stare dixerit, hic magis fluxum rerum
approbet, quod non solum ex ipsius *Theaeteto* patescit vbi cum p. m.
130. f. dixerit, expendendum esse sententias, & illorum qui fluere o-
mnia, & horum qui stare statuerint, & vtra praestaret hanc sequen-
dum: dein quidem circa *Protagoream* illam & *Heracliteam*, in qua ex-
plicanda iam ante multus fuerat, ita versatur, vt neque illa stante sci-
entia idem ac sensus dici bene posse monstret. a *Parmenidae* vero ex-
plicatione postea se excusat p. 132. id, ni fallor, dicens, se ob reueren-
tiam



& multa vnum? Est quidem (b) vnum mens nostra, illa (c) progenies

tiam erga Viri istius sapientiam nolle eam refutare, nam p. 130. e. clare nimis dixerat: a sequioribus vero atque sapientioribus (rem tam perspicue demonstrantibus, ut futores quoque auscultantes sapientiam ipsorum perciperent, & disernerent *stulte existimare*, entium aliqua quidem stare alia vero moueri) discentes quod omnia moveantur, illos magnificiunt. Sed etiam auditor Platonis *Aristoteles* clare dogma illud praeceptori suo tribuit, hinc *Ideas* ipsius produisse ostendens *Metaph.* I. 6. & XIII. 4. Cohaerere vero istud de stabilitate rerum dogma cum illa Parmenidis de vno doctrina, & reuera differre a Protagorae placitis, ipse agnoscit Plato p. 130. e. 118. f. 120. e. 131. c. Multa vero quod sint, eaque diuersa, Platonem statuere, vndique fere, praesertim tamen, ex *Philebo* & *Timaeo* ipsius patescit. Conferre quoque poteris si lubeat quae occurrunt in *Sophista*, imprimis p. 165. d. sq.

(b) Dicunt hoc ni fallor, quae in *Philebo* p. m. 74. e. occurrunt: Vbi Veteres ait tradidisse, oportere nos (cum ex vno & multis constent, quaecunque sempiterna dicuntur, atque quaeque finem & infinitatem sibi connata habeant) in his, ita nempe ordinatis, semper *vnam* illam de omni *ideam* in singulis versantes quaerere, inuenturos quippe eam *infinitam*, quam si comprehenderimus, post *vnam* duas sicubi sint, aut si minus tres, aliumve numerum dispicere, & sic rursus in iis quae vnum sunt quibuscunque, donec quis noscat vnum illud, quod circa principia est, non solum, quod vnum, & multa, & infinita, sed etiam quot sit &c. Ita mentem quoque innuere videtur in *Theaeteto* p. 132. c. dum ait: Absurdum esset, si multi nobis sensus, quasi equis ligneis insiderent, nec isti omnes tenderent in *vnam* siue *ideam*, siue *animam*, siue quomodocunque id appellandum esset, quo per illos, tanquam per organa, sentimus quaecunque sensibilia.

(c) Cum quatuor principia in *Philebo* constituisset, duo quidem dixit, ex quibus gignantur omnia, *vnum*, quod quia maius atque minus recipit, infinitum, & *duplum*, quod finitum ac aequale, priori additum numerum iam & harmoniam ei conciliat, tertium quod ex his genitum, generationem in substantiam, quartum vero causam istorum omnium efficientem & opificem: ad nullum horum vero mentem

tem



genies causae istius, quae omnium est effectrix, non tamen vero (d) multa ista, quae in ipsa occurrunt, ipsum illud vnum sunt, sed participant tantum de vno illo & ad id se referunt, (e) vti etiam de altero ac de multitudine participant. Vti vero (f) non est mens sine anima, ita eam (g) superaddit summum istud bonum, aeterna nempe mediocritatis concinnitatis, & perfectionis idea. Animae nimirum hominum (h) eadem ac bestiarum (i) ex reliquiis animae mundi,

tem referri bene posse deia colligit, nisi ad vltimum, cum huic necessaria sit ad pulchram istam ordinationem ac dispositionem omnium, huiusque adeo ipsam esse progeniem γενέσθην asserit p. 80. d.

(d) *Parmenid.* p. 55. g. & *suppositione quarta* p. 68. sic p. 67. d. vnum fieri dicit, tumque desinere esse multa, multa vero dum fiant, ea desinere esse vnum, fieri autem vnum & multa congregando & disgregando. conf. l. a. *Philebo* p. 74. e.

(e) *Parmenid.* p. 64. d. 71. b. 69. e.

(f) *Phileb.* p. 80. c. conf. *H. Stephani Poësis Philosoph.* p. 106. similiter etiam loquitur *Plato in Timaeo* p. 533. c. 527. b.

(g) Ita *VI. de Rep.* p. 479. a. boni idea dicitur causa tum virtutis intelligentis, tum scientiae & veritatis quae per mentem percipitur, in *Philebo* autem p. 94. 9. primum bonum esse ait, circa mensuram & moderatum, secundum circa commensuratum & perfectum, tertium vero mentem, & haec etiam p. a. dicebatur aut ipsa esse veritas, aut omnium certe simillimum & verissimum. Ipsam quoque mentis nostrae Causam, causam omnium dixerat in *Phileb.* p. 80. d. Causam vero omnium cum necessitate mentem etiam dicit in *Timaeo* p. 533. g. eamq; etiam DEVM bonum dixerat p. 527. a. (plane vti ipse *Timaeus* Locrus in sui quod super est opusculi principio) vbi dum *Plato* etiam DEVM illum dicit mentem mundo dedisse, hanc tamen illam quae mundo indita, aliam adhuc ab ista, ex cuius cum necessitate coitu mundus generatus in priori loco asseritur, esse, cuius facile patet.

(h) In *Phaedon.* p. 386. d. in *Timaeo* p. 531. e. & 552. e. f.

(i) *Ibid.* p. 531. c.



di, (k) quae ex eodem, diuerso, atque essentia conflata erat, a summo opifice compositae, [l] numero determinato [m] in singula astra distributae sunt. In [n] his vero circumuolutae,

(k) Ibid. p. 528. & 529. b. explicanda vero sunt ista ex Pythagorica Philosophia (hanc enim accurate profiteri Platonis Timaeum notat etiam Hierocles ad aur. Carm. p. m. 4.) Vt idem siue substantia, quae indiuidua, & semper eadem similisque est, nihil aliud sit, quam quod alias unum dicunt (alioqui formam rei forte diceres.) Alterum vero siue diuersum, substantia circa corpora diuidua, ceu ipse Plato appellat p. 538. e. binarius, subiecta isti materia existat Laërt. in Pythag. VIII. 25. conf. Porphyr. in Vita Pythag. segm. 38. ex quibus prodeat essentia media inter illas, & ab utraque participans. Nisi forte in eo differre isthaec dicas, quod hic cum vno ens, & cum binario non ens (conf. Plat. Sophista p. 165. c.) coniunctim sumatur. Licet dubitare fere queas, num Timaei magis quam Platonis haec sit sententia. Conf. de Republ. X. p. 517. fin. certe ipsi non aduersatur.

(l) Ita X. de Republ. p. 517. d. easdam semper esse infert animas nec pauciores vnquam fore neque plures.

(m) In Timaeo p. 531. c.

(n) Cum in Timaeo p. 531. d. ex astris demitti eas in corpora dicat, p. 532. c. vero illas tunc amentes fieri asserat, equidem necesse est, mentem iam ante ipsis fuisse super additam, Licet vero eius operationes ex ipsa animae natura explicare videatur p. 529. b. non tamen hisce mentem omnem absolui dici potest. In idearum vero cognitione ipsa consistere, quod dicitur, pulchre concordat cum eo quod ante dictum est, boni ideam causam esse mentis, vnde etiam in Phaedro p. 345. c. videre animam iustitia, videre temperantia, videre scientia praedicatur. Vbi tamen dum in loco supra coelesti circumferri dicuntur, eo non contrarium dictis in Timaeo asseri tum ex aliis tum inde patet, quod cum in extremo circa terram circulo astra disposita censeantur, iisq; tanquam vehiculo super impositae animae, ceu p. 531. c. dicitur, vt iis vniuersi natura, legesque fatales monstrantur; ita utique circumferuntur super mundo in circulum moto p. 528. c. in loco supra coelesti, nam mundus idealis siue intelligibilis ad cuius exemplar sensibilis productus p. 527. d. supra & extra coelum hoc erit constitutus.

rae, (o) separatim existentes illas rerum in hoc vniuerso sensibilium ideas atque exemplaria intuentur, atque (p) videntes id quod est, & quod verum, noscunt ibi ipsum iustum & pulchrum, ipsum bonum, ipsum sanctum, & quae adsunt alia, adeoque mentis compotes fiunt. Corporibus tamen postea immiffae (q) amentes rursus fiunt, & eorum quae olim viderant obliuiscuntur. Vnde disciplina (r) opus est, qua-

C

men-

(o) Harum existentiam passim probat v. *Timae.* p. 535. d.

(p) Obseruandum, videri Platonem non separatas ideas *entis & veri* statuere ab aliis, sed tanquam omnibus communia isthaec proferre atque ipsis essentialia, in quibus differant ideae illae exemplares ab expressis inde simulacris sensibilibus, quippe quae non *sint*, sed semper *fiant*, atque, cum in perpetuo fluxu sint, veritate careant. Vnde nec harum cognitio esse queat, cum sicut lumen ad oculos, ita ens & verum ad animam se habeat, atque vt sine lumine non est visus, ita sine illis neque mens appareat. Versante vero anima in iis, in quibus illa existunt & relucet, mens quoque existit. Vid. *VI de Rep.* p. 478. h. 479. a. Atque similiter in *Phaedro* pag. 345. c. mentem quam ibi *διάνοιαν* vocat, videntem id quod *est*, amare id ait, & contemplantem verum *nutriri* & gaudere. Vti vero lumen non est visus, ita neque ens & verum mens nostra sunt. Expressio vero idearum in anima nostra forte mens appellanda erit. Non vero omnes animas aequali ratione verum intueri, sed alias plus alias minus, alias semel alias saepius circumferri notatur in *Phaedro* p. 345. d.

(q) Ita in *Timaeo* p. 532. c. quod non ita sumendum, ac si omne id amittat, quod mentis est, sed quod obliuiscatur tantum omnium. Sic enim non alia quam duo *ἀνοίας* esse genera *μηνίας & ἀμαθίας* p. 550. b. asserit, quae morbi & mala sint animae, non tamen ipsam corrumpant, vel dissoluant. *X de Rep.* p. 516. g. Conf. *Sophista* p. 133. d.

(r) Necesitatem disciplinae neque Platonem negare, vndique manifestum est. Caeterum non a quouis, aut quomodo-

cun-



cunque, & quodocunque mentem recuperari, ex eodem hic quoque est notandum. Cum enim amentia, ceu dictum, vel in turbatione motuum mentis, h. e. *μανία*, vel in obliteratione & defectu insitae notitiae consistat, quae *ἀμαθία* dicta est: sequitur ubi horum quicquam est, ibi mentem non omnino restitutam esse. Consistens igitur mens in motuum harmonia, & aeternarum idearum notitia, ubi restauranda, non ab alio recipietur quam qui id egerit, neque aliter quam redactis in ordinem motibus, & resuscitata idearum cognitione. Vti vero hic requiritur, tum remotio eorum, quae turbant motum illum mentis, tum praesens conspectus idearum, ita isthaec non appetet neque consequetur, qui se ipsum non cognoverit. Se ipsum vero cognoscit qui animam suam, & eius potissimam partem, mentem nimirum noscit. Hanc vero noscemus intuendo ipsam tum in aliis (ceus oculus se cognoscit, si in alterius oculum intuetur) tum in id, cui illa similis, in quo & DEVS & prudentia cernitur *Alcibiad. I. p. 37. d.* nempe in mentem Animae mundi; cuius circuitus, qui in coelo peraguntur, inspicientes, perturbatas cogitationis nostrae discursiones, cognatas illis, ad illorum temperiem reuocabimus, *in Timaeo p. 533. e. p. 552. a. b.* optimus vero est motus qui ex se ipso in se ipsum fit. *ibid. p. 551. d.* Sed & cum mente direttore anima utatur, *in Phaedro p. 345. b.* illa animae motus quoque dirigere censenda, quorum nomina proferuntur *X De legibus pag. 669. c.* velle, contemplari, curare, consultari, opinari recte & non recte, meminisse, laetari, dolere, audere, metuere, odisse, amare, & id genus alia. Licet enim animae quoque tribuatur se ipsam quod moueat. *ibid. 668. g.* & in *Timaeo p. 529. b.* aut tamen ut mentis iam participi id tribuitur, aut illud *opinari non recte* ad animam corruptam iam spectare deberet, & in corpus delapsam. Etenim animae in se corruptionem non competere, Plato videtur alibi asserere, sed vel propter corporis dominium in *Timaeo 550. f.* vel propter mentis defectum *X de Rep. p. 517.* malam atque deteriorem ipsam videri, vnde etiam in *Phaedro p. 345. e.* animae illae, quae a visione eius, quod vere est, praepeditae fuerunt, interim opinionum uti nutrimento dicuntur, *conf. X de Leg. p. 669. d.* Sic igitur qui non noscit menti suae competentem motum, ex illo

mentem ac scientiam pristinam recuperent. (s) Recordan-
tur nempe, dum effigies exemplarium istorum hic visitant,
C 2 eorum

illo cui similis est, neque habebit ad quod vim illam intelligentem, assimilando reficiet. Conf. *Timaeum* p. 552. b. sed & illi mentem non recipient, qui ipsam quoque non inspiciunt. idque uti dictum in aliis, noscendo hic, non tam ut ibi, intrinsecam naturam, sed foras procedentes mentis operationes, siue potius respectus, seu ipsam intelligentiam; ubi dum eam non nisi circa ea, quae vere sunt versari deprehendissent, abduxissent se a fluxis & incertis, & ad stabilia illa se applicassent. Vnde etiam modus, quo mens recuperatur, patescit, ille nimirum quo mens ordini suo restituitur, quo pertinet ipsa contemplatio coelestium, & auditus sonorum harmonicorum, in *Timaeo* p. 533. e. f. & sedatio concitatorum animae motuum p. 532. c. item is, quo ipsa ad ea quae vere sunt, applicatur & reuocatur a communione cum corpore, np. ipsa intuitio eius quod vere est. *VI de Rep.* p. 479. a. Equidem oportet hominem intelligere secundum speciem, ex multis sensibus in vnum ratiocinatione collectum procedentem, uti dicitur in *Phaedro* p. 346. a. attamen species illae siue icones, utpote a rebus mutabilibus & incertis transumptae adeoque tenebris permixtae non ita animam sibi vindicare debent, ut in iis acquiescat, sed non alius debet esse eorum usus, quam penes Geometras characterum est, ad quos sane ipsi mentem non dirigunt, sed ad aliud iis signatum, hisce tantum illud in mentem reuocantibus *VI de Rep.* p. 479. d. g. vnde confestim a sensibilibus, ad id quod in nobis superest rerum quae vere sunt, ectypum, si ita loqui liceat, conuertendum, siquidem mentis compotes fieri velimus, *ibid.* a. conf. *Theaetet.* p. 130. g. cum si ad aliquid considerandum in societatem corpus assumserimus, vel per visum, vel per auditum, vel per sensum alium, aberremus, perturbemurque, quasi ebrii vacillantes, in *Phaedone* p. 385. c. d. Per sensuum igitur disciplinam, & corporearum rerum, ac visibilium studium nunquam ad mentem redibis. Verum patet quoque ex dictis, non statim natis nuper hominibus vel pueris men-



eorum quae olim norant, & (t) cum affectu intimo, ob rem-
 iniscentiam status illius, quo isthaec antehac cognoscebant,
 ex simulacris, sensibilibus, & fluxis, aeternorum & intelli-
 gibilium veram notitiam relegunt. Si modo in id intendant
 aciem suam, in quo (u) veritas & ipsum quod est relucet, &
 non inhaerescant sensibilibus, imaginibus illis, atque simu-
 la-

mentem esse restitutam, sed vix tandem post longa temporis curri-
 cula frequenti studio & disciplina eam aduenire, in *Theaeteto* p. 133.
 a. indeque nec a senectute ipsam dari, si non semper discamus, in
Lachete p. 249. f. licet, posito hoc, illa aetas habilior sit prudentia
 atque mentis, quandoquidem sedatiores tum existant animae,
 motus, & in figuram animae suae congruam restituantur, in *Timaeo*
 p. 532. c. optime vero post mortem nos scientiam esse consecutu-
 ros concludit in *Phaedon.* p. 379. e.

(s) Disciplinam tantum esse reminiscentiam probatur in *Phae-
 done* p. 382. d. seq. in *Menone* p. 17. sq. & alibi passim inculcatur, non
 aequae facile vero omnibus esse recordari innuitur in *Phaedro* p. 346. c.

(t) Stuporem appellat, amorem, venerationem, gaudium,
 delectationem in *Phaedro* p. 346. c. seq.

(u) *VI de Republ.* pag. 479. a. & plura de hac conditione
 p. a. nota (r) diximus. Quod vero in *Philebo* p. 93. a. scientiam dicit
 aliam esse circa illa quae oriuntur & occidunt, aliam circa illa quae
 neque fiunt neque intereunt, semperque secundum se eodem modo se
 habent, eo non aliud dicit quam quod in *Theaeteto* p. 132. g. ait, ani-
 mam alia per se ipsam intueri, alia per facultates corporis, per corpus
 enim i. e. per sensus tantum patefiunt, quaecunque visibilia & tangibi-
 lia sunt, i. e. quae generantur & corrumpuntur, oriuntur & occi-
 dent, scientia vero proprie est circa essentiam & veritatem, quae cum
 per sensum non percipiatur p. 133. b. utpote quae in fluxis illis non exi-
 stat, conf. p. a. nota (p) abusive in his & minus principaliter scientia
 esse dicitur, cum opinio vera tantum, si multum quidem, circa haec
 obtineat, quam quidem a scientia parum differe, & in *Theaeteto* & in
Menone, p. 23. innuit, differre tamen & in *Theaet.* p. 139. deducit,
 & in *Convivio* p. 327. e. atque passim alibi adseuerat.

lacris. Inprimis vero oportet nos mundi & (x) harmoniam & reuolutiones ita contemplari, vt per earum intelligentiam rei intellectae intelligentem vim similem reddere, adeoque corrigere, studeamus.

§. VIII.

Equidem si in loco illo supra coelesti me aliquando verfatum reminiscerer, certo existimarem me vidisse ibi (a) scientiam, quam Plato hic pandebat, ita familiaris plane apparebat veritatis esse, ac sublimi lucere pulchritudine, imo paratus eram statuere omnino rem aliter se habere non posse, modo rescuiissem, quam reuelatione Platoni isthaec fuissent tradita. Ita vero metuere adactus ne forte sub scita quadam fabella abstrusius adhuc quidpiam recondideretur, ego vero, isthoc non assequens, tanta rei verisimilitudine ab ipsa veritate longius abducerer, hinc, donec diligentiori inquisitione locus esset, discessi.

§. IX.

Porticus vero Atheniensis, illius quae Varia & Pisianatios dicta, vbi maxime olim rationalis Philosophiae studium floruisse constabat, vetusta accessi rudera. Ibi inter *Stoicae* illius Philosophiae reliquias, haec reperi, mentem quae attingent, est nimirum (a) ea pars animae principalis, (b) quae efficit

C 3

(x) In *Timaeo* p. 552. a.

(a) Ita enim scientiarum quoque ideas *Plato* statuit.

(a) Ita λογισμὸν Stoicorum ipsam mentem esse agnoscit *Lipsius Physiol. Stoic. Lib. III. diff. 18.* quo nomine *Plutarchus* τὸ ἡγεμονικὸν appellat, quodque cum *Lipso* cogitatio reddidi, & ita quoque *Gatakerus ad Antonin VII. 75.* & semper fere, τὸ ἡγεμονικὸν *Mentem* vertit. Equidem aliud docere visus est locus, *Laërtii VII. 139.* vbi ὁ ὄντος διὰ τῆς ἡγεμονικῆς κεχωρημέναι, *mens per principale disposita* dicitur. Sed si illud hic diceret, diuersam esse mentem ab animae principali parte; aut

efficit phantasias, assensus, sensus, appetitiones, ipsa si-
qui-

aut ita diuersam diceret, vt & ab ipsa anima differret, quod vero tertium & peculiare principium Philosophiam Stoicam nusquam reperies agnoscere, (Equidem πνεῦμα & τὸ ἡγεμονικὸν distinguit Antonin. de rebus suis II, 2. sed πνεῦμα ibi non mens est, sed ἀνεμὸς aër) aut ita, vt totum a parte, vel pars a toto: vbi, si mens ad principale se vt ad partem haberet, res eodem recideret, ac si diceret mentem totam esse animam, magis tamen principale quam partes reliquas, si vero tanquam pars esset τῆ ἡγεμονικῆ, equidem Posidonium (quem Laërtius etiam dum isthaec scriberet, voluisse videtur) testis est *Tertullianus* allegatus Lipsio l. c. III, 17. tanquam diuersas statuisset partes τὸ ἡγεμονικὸν & τὸ λογικὸν, quo posteriori forte mentem notauit, (quemadmodum etiam Antoninus *de rebus suis* X, §. 24. quaerit num principale mentem amiserit) verum & sic eodem modo nobis conciliari posset, neque omnino essentiae diuersitas hic esset, sed tantum modi, quo in alia parte animae magis in alia minus esset. At alias Stoici haec non distinguunt. *Laërt.* ipse VII. 157. λογικὸν vocat, quod *segm.* 159. ἡγεμονικὸν dicit, & sic etiam *Plutarchus*. Quod vero *Laërt. segm.* 138. menti tribuit, quod peruat, ac gubernet, διήκει καὶ οἰκεί vt omnia ita animam nostram, id ipsum ad τὸ ἡγεμονικὸν *Plutarchus* refert de *Placitis Philos.* IV, 4. ab hac parte dicens reliquas ordinatas per propria cuiusque organa, & ab hac procedentes spiritus intelligentes ad organa corporea sensus constituere *capp.* 8. & 21. & partes animae reliquas. Et vti hic ex principali reliquas partes prodire dicit, ceu pedes ex polypode, quibus & *habet* is quo viuat, & quae praehendit, arcte ligat, & *continet*, ita Laërtius mentem ait in principali esse & residere plene ac proprie vt mentem, in aliis vero vt ἐξω, *habitum, vim ligantem, continentem, constringentem* (conf. *Gatakerus in Antonin.* VI. 14. It. *Meric. Casaubonus*) Quomodo etiam de mente, τῆ νοῦς, loquitur *Antoninus de rebus suis* XII, 20. (mente quidem vniuersi, per singulos tamen sparsa, vnde cuiusvis mens DEVS fit, *ibid.* §. 26. ex DEO profecta, adeoque eiusdem etiam quae mens ista vniuersalis naturae) quam ipsam indigitat *Lib. V, 21.* suadens honorare id quod reli-
quis

quidem cogitatio. Vti vero anima est (c) spiritus nobis
con-

quis utitur & reliqua disponit διοικῆς, affine illud isti quod in toto mundo validissimam. L. XII, §. 1. vero solum τὸ ἡγεμονικὸν honorandum praecipit. Eadem Lib. VI, §. 1. & 5. λόγῳ διοικῶν dicitur (licet *Meric. Casaubonus* ad Laërt. VII. 158. p. m. 467. a. λόγον peculiariter τὸ σπερματικὸν notare annotet) Et *Epietetus* in locis allegatis *Gataker* ad Antoninum V. 21. eam ipsam appellat δύναμιν αὐτῆς θεωρητικὴν, λογικὴν, χρηστικὴν ταῖς φαντασίαις, τὸ κρείττισον ἢ κυριεῦον, δύναμιν προαιρετικὴν. *Facultatem sui ipsius contemplativam, rationalem, viventem phantasias, praestantissimum omnium & imperans, vim voluntatis*, perinde ut τὸ νευροσπασμὸν ἡμᾶς appellat *Antonin.* X. 38. conf. VII, 15. & ibi *Gatakerum*. Caeterum facile concessero, & ex dictis quoque patet, amplius quid vñ & τὸ ἡγεμονικὸν Stoicis ita notare, quam quod alias mentem sine intellectum dicimus, hoc enim ipsi specieatim διάνοιαν vocare videntur, conf. *Antonin.* XII, 30. p. m. 362. licet § 19. etiam διάνοια illa paulo aliter adhuc sumatur & exponatur metus, suspicio, libido, quae scilicet sunt ἐν τῷ ἡγεμονικῷ, vti concordans locus V, 11. loquitur & quae in gemino his loco X, 24. etiam vñ, strictiori nempe vocabuli usu, dicuntur, quo vel quibus τὸ ἡγεμονικὸν aliquando vacuum esse possit. *Laertius* vero VII, 49. ad nostrum propius sensum διάνοιαν dicit esse ἐκλαλητικὴν, quae sermone (externo an interno) exprimat, quae a visione acceperat. Alio vero significato vocabulum istud ab aliis adhibetur, & sic *Plato* quoque animam διάνοιαν dicere videtur in *Timaeo* p. 551. a. conf. in *Theaeteto* p. 136. f.

(b) *Plutarchus de placitis Philos.* IV, 21. Et sic quoque *Cicero Academic. quaest.* IV, 30. mens, ait, sensuum fons atque etiam ipsa sensus est. Vbi tamen posterius illud non ita accipiendum, ac si mens sit visus, auditus &c. sed est eadem sensus aliquis, diversus tamen, vti communem statuit *Aristoteles*, nam *segm.* 31. ipsa vti sensibus dicitur, & *Plutarch.* l. c. sensus & reliquas animae partes ex hoc tanquam ex Polypo acetabula prodire, quae quidem non sunt ipse Polypus eis tamen is graditur & nutrimentum capit, & *Laertius* quoque aliique confirmant, partem Stoicos diversam statuisse a sensibus & reliquis, eam quam mentem dicimus. Efficit vero mens sensus & reliqua intendendo, vti
Cicero

congenitus calidissimus, (d) ex anima mundi h. e. (e) ex ipsa DEI essentia profectus, ita mens quoque nihil erit aliud. Haec igitur (f) statim a partu hominis, (g) vt primum scilicet corpori coniungitur, id agit vt in se ipsa tanquam charta munda consignet notitias illas primas & naturales ex quibus Ratio

Cicero addit, vim quam habet naturalem, ad ea, quibus mouetur. Non item promiscue ista efficit, phantasias np. assensus, sensus, appetitus, sed suo ordine vt ex sequentibus patebit,

(c) *Laërtius* in *Zenone* VII. 156. 157. ita *Pythagoras* Animam & sensum vaporem calidum & frigidum dixisse fertur *eid.* VIII. 28. 29.

(d) *Laërtius* *ibid.* 156. & 143. quod ipsum quoque cum antiquioribus Philosophis commune habent.

(e) *Lipsius Physiol.* III. 8. conf. I. 8. II. 10.

(f) *Plutarchus de placitis Philos.* IV. 11.

(g) *Lipsius Physiol. Stoicorum* III. 10. & 7. cui non aduersabitur, quod antea e *Laërtio* dictum, animam spiritum esse nobis congenitum, nam si tum quoque sit genitus, quo homo editus est, vna genitus, *συνγενής*, simul natus, recte dicetur, sed magis obest quod legitur apud eundem *segm.* 153. semen hominis emissum, vna cum humido commisceri animae partibus, sed hic forte conciliator erit *Chrysippus* apud *Plutarchum* de *Stoicorum* repugnantibus p. m. 1052. e. dicens foetum hominis in vtero a natura ali, vt Plantam, partu autem editum, refrigeratum ac duratum ab aere spiritum mutare, & animal fieri, & clarius adhuc *Philo* de *creatione* citatus *Gataker* ad *Antonin.* X. 26. p. m. 306. 1. d. semen ait vtero immissum motus particeps factum naturam fieri semine meliorem, quae fingat & diffleret humidum quidem in membra corporis, spirituale vero, motura sc. in facultates animae nutritiuam, & sensitiuam, rationali τῆ τῆ λογισμῶ forinsecus accedente. Miscetur igitur semen animae partibus, non tamen ἴσῳ ἄ, sed reliquis τῆ φύσει & ἔξει. *Antonin.* de rebus suis VI. 14. collato *Laërtio* VII, 139. quae etiam πνεῦμα erit, mutandum tamen, ita nempe vt magis nunc sit mens vbi minus fuerat.

io constituitur, inde septimo demum vel (b) quarto decimo aetatis anno adueniens. Ita vero inscribit, nempe (i) per sensus sensibilia obiecta ipsam mouent, & efficiunt adeo phantasias, in quantum ipsa representant, in quantum vero phantasiae distinctae sunt ab obiectis, animae

D

mae

(b) Notabilis locus est Iamblichi apud Stobaeum allegatus Lipsio *Psysiol.* III. 10. Stoici dicunt non statim rationem τὸν λόγον inseri, verum postea congeri a sensibus & imaginationibus circa annum decimum quartum. Quem Lipsius immerito suspectum habet, cum planum sit λόγον hic non ipsum ἡγεμονικὸν notare, sed id quod ipsi inscribitur & acquiritur. Verum videtur Lipsius rationem innatam statuere, vti notitias innatas statuit *Manuduct. ad Philos. Stoic.* II. 11. sed vtriusque fundamentum apud genuinos Stoicos nondum reperi, neque igniculi & calidus noster spiritus ipsae erunt notitiae. *Plutarchus* vero etiam clare contrarium exponit, notitias communes, anticipationes, & naturales notiones acquiri tradens. Et hic perinde, vt apud Stobaeum citatus *Iamblicus*, imo adhuc explicatius, rationem, ait, *sec. quam rationales dicimur, ex praenotionibus compleri primo aetatis septenario*: in eo tantum differens, quod *septimum*, & non vt ille *bis septimum*, aetatis annum acquisitioni huic praestitutum nominet. Iam cum ratione quoque res non sensibiles & incorporales nosci dicantur *Laërtio* VII. 51 l. & rationis collatione bonorum notitiae acquiri *Ciceroni de fin.* III. 33. patet & haec forinsecus innotescere. Ex notitiis enim ratio, notitiae vero per sensus acquisite. Vnde cum *Laërtius NATVRALITER* iustum & bonum nosci dicit, *segm. 53.* perinde id dicit, ac *Plutarchus* de notitiis, *naturales* eas vocans, quia nempe nulla arte acquiruntur.

(i) Hunc primum modum τῆς ἀναγωγῆς appellat *Plutarchus* quem κατὰ περίπτωσιν per *incidentiam* nuncupat *Laërtius* VII, 52. 53. Cui subordinantur igitur, quos nominat idem *Laërt.* l. c. reliquos intelligendi modos, per *similitudinem*; per *analogiam sec. incrementum, detrimentum & proportionem*; per *transpositionem*; per *coniunctionem*; per *contrarium & priuationem*.

mae erunt opus , quae etiam illas retinens &, remotis licet
 obiectis, reducens (k) phantasmata sic constituit, quae igitur

(k) Ita ipsos hoc discrimen obseruare inter *Phantasia* & *Phantasma* & *Laërtius* notat, VII, 50. & ex Chrysippo *Plutarchus* cap. 12. Vbi tamen caue ne iis quae illic ad illustrandam Phantasmatis naturam afferuntur, ab eius vero conceptu potius praepediatis, si quidem ea non vt exempla Phantasmatum, sed vt similia consideranda sunt. Non enim dicuntur phantasmata esse rerum omnino non existentium, quia sic omnia falsa essent, quomodo vero Deis tunc competeterent, quorum tamen ea quoque esse dicuntur *cap. XI*. Neque lusus sensuum nostrorum putanda, sic enim sane Diis quoque non competere possent, nec aliis quoque animalibus competeterent, quod tamen *ibidem* negatur, sed sunt rerum coram sensibus nostris non amplius existentium, adeoque sane a διακένω ἐλευσμοῦ tractu inani sunt, cum id quod moueat nullum adest. In furentibus vero, & atra bile laborantibus adest utique quod sensum moueat, ceu ipsi satis produnt. Vnde melius videtur simile, quod *Laërtius* affert, a visis in somno, ibi enim visuntur quae olim vidimus, visuntur tamen nulla sensus opera. Et cum *Phantasia* eidem *Laërtio* *segm. 50.* dicatur, quae ab existente secundum existens impressa, formata & signata est, phantasma illi contradistinctum utique erit secundum non existens, non tamen vt non existens, sed vt non mouens, vt phantasia est secundum existens non vt existens sed mouens. Et sic patet ratio cur Phantasma non sit reliquorum animantium, vtpote in quorum potestate non est in animum quid reducere, nisi praesentia obiecti sensus moueantur, vnde Phantasiae brutis quoque competunt, quae tamen irrationales appellantur, vt quae rationalium sunt animalium, distinctionis ergo, νοήσεις intelligentiae dicuntur. *Laert. segm. 51.* vbi vero dum inuisibilium rerum etiam Phantasiae dicuntur esse, merito quaeres, quomodo haec moueant, siquidem Phantasia, ipso *Laërtio* teste, τύπωσις & ἀλλοίωσις ἐν ψυχῇ qualis a non existente non fieret, neque sine motu esse potest, vid. idem *§. 54.* vnde *Plutarchus* eam παράθεσις ἐν τῇ ψυχῇ γινόμενον, mouente nos obiecto aliquo, ait esse. Videntur itaque

tur nulli. praeter DEVM & hominem, animanti competunt.
 (l) s vero in homine iam anima notitias illas fruit,
 ex quarum repetita saepe memoria [experientiam] acquirit,
 & ex hac (m) rationem, qua fit vt inscripta iam & ratio-
 nalis dicatur. Quod (n) accedente doctrina & disciplina

D 2

dein

que non illa solum mouere, quae per incidentiam intelliguntur, sed
 & quae per reliquos supra dictos modos. Vnde perspicui puto, cur
circa existens potius quam *circa praesens* phantasia esse dicere vo-
 luerint, quoniam quaedam v. g. gigas, pygmaeus, centrum ter-
 rae, veritas, bonum, spiritus, non ita praesentia dici possunt, at-
 que est Charta, Mensa, Cathedra: dum tamen animam mouent, sui
 phantasia imprimendo, aliquid saltem ipsorum praesens est, reliqua
 supplete ratione ex pristinis phantasiis acquisita, vel phantasma-
 te itidem iam in nobis existente, eritque adeo phantasia cuiusvis ob-
 iecti quod & nunc & primo, intellectum mouet; phantasma vero
 eius, quod nunc non mouet, sed olim mouit. Vnde *Laertius* id
δόνησιν διανοίας appellat. Cicero id visionem reddere videtur *Aca-*
dem. Quaest. IV, 33. vti §. 18. Phantasia *visum* se dicere fatetur, ma-
 gis scilicet ad intellectum respiciens. Caeterum apud *Epictetum* &
Antoninum non adeo accurate videtur discrimen hoc obseruari.

(l) *Plutarchus* quidem IV, 11. ipsa phantasmata *ἐννοήματα* nun-
 cupat, adeoque ea ipsa *ἐννοίας* esse asserere videtur, quod si prae-
 feras non repugno. *Ciceronem* hic sequi placuit, quem vt reliqua
 ita & hoc secundum, saltem non contra, *Stoicos* proferre existimo,
 l. c. §. 10. quod ex memoria reconditis & similitudine constitutis
 notitiae efficiantur.

(m) * *Contractius Laertius VII. 49.* praecedit phantasia, dein
διάνοια adest. Quae igitur idem erit quod *λόγος* saltem non mul-
 tum differet.

(n) *Lips. Manud. ad Philos. Stoic. II. 10. quod principali recte vti,*
 vt puto, dicitur *Antonino de rebus suis XII, 33.* & alibi,



dein irritatur magis , stabilitur , & perficitur. Non vero in capite residere pars animae principalis ista censenda est, sed ab ea (o) in corde posita ratio (p) sursum ablegatur.

§. X.

Distincte quidem haec atque perspicue dicta , non autem omnino certa ac indubitata mihi visa sunt. Mentem esse spiritum calidum negare absolute nondum poteram. Quomodo vero siue spiritus, siue calor, perciperet, sentiret, ac intelligeret, non perspiciebam. Ita historiam cognitionis nostrae non poteram impugnare, mentem vero in pectore residere plane, ut ne quid grauius dicam, mirabar. Eia te Philosophum, me ipsum increpauit, qui capite hactenus cogitasti, cum corde oporteret. Verum, etiam nunc, dum haec egi, quae certe mentis opus esse reor, cor meum non magis siue agere siue moueri deprehendi, quam si dormirem. Perpendens quoque quid mihi obtingeret dum sentio, cordis hic partes nullas deprehendi. Neque phantasias vnquam hic me concepisse, aut aluisse phantasmata, aut sententias reposuisse, aut ratiocinia collegisse mihi conscius sum. Nisi tamen nimis forte dicam. Iamiam enim recordor, offerri mihi subinde obiecta quae miros circa pectus sensus creant, tum spiritus ibi est, & calor, & motus. Acetum in pectore esse putares. Mens quoque ibi est, tum enim non amplius capite cogitare vacat, neque licet persequi illud quod egi, sed pectus ait: hoc age. Tum rationes rerum gerendarum ex corde hoc sursum adscendunt, sed & phantasiae & phantasmata indelebilia sursum adscendunt, sed & ratiociniorum & sententiarum pectus tum fundamentum est. Neque aliud cogitare, aliud

(o) *Lips. Phys. Stoic. III, 18. Gataker. ad Antonin. p. m. 95. fq.*

(p) *ἀναπέμπεται diserte Laert. VII. 159.*

aliud studere, aliud exsequi, ut maxime etiam luberet, mihi tum est integrum. Sane Stoicis ita omnino rem euenisse iam existimo, & fallor, aut hodie quoque plures ita affectos esse certum est. Vnde enim voluntatis illud, quod vocant nonnulli, in intellectum imperium, vnde ars illa animos ex affectibus cognoscendi, nisi hinc, robur aliquod rationem ac fundamentum petere posset? At quid me fascinavit, quin hactenus quandoque saltem, si non semper, corde me cogitare existimarem? Equidem si nunquam aliter quam ita fuisset affectus, me forte etiam mentem in pectore credidisse suspicor. Ita vero aliud saepius expertus, isthaec perturbationes esse credidi prodeuntes forte ex insolito & inaequali sanguinis per cordis ventriculum fluxu ab obiecto quodam, vel physica quadam vi excitato, vel tantum, concurrente intellectu meo, modificato. Ita vero factum ut semper mentem in capite me gestare iudicarem. Et quidni posthac etiam ita statuam? Licet enim quae ante narrabam non reuocem, inde tamen non magis in corde dici poterit mens habitare, vel ibi cogitatio fieri aut inde proficisci proprie ratiocinium: quam de stomacho atque ventre vel de abdomine quis hoc asseret, licet illa parem vel etiam maiorem saepe effectum prodant; vel non potius id asseretur, quam fermentum dicitur placentas pinsere. Et magis etiam in istac contra Stoicos sententia confirmor, dum non nouae phantasiae ab istiusmodi pectoris impetu produci, sed veteres tantum suscitari, & certo ordine conuocari deprehenduntur, imo ipse ex phantasiis saepe oriri. Iam igitur mirabar rursus, & dubitabam fere, num isthaec statuere potuerint, & num fieri posset, ut quis per omnem vitam nihil cogitet vel agat, quam quo cordis ferretur impetu? Quod uti non nisi ex effectu decernere nunc ausim, ita non vane tamen suspicarer forte, conducere posse ad persuasionem



talem disciplinae defectum, si cui a teneris, quaecunque libuerint, licuerint. Sic enim cito in his occupatum hominem vires eo ipso acquirens libido magis magisque prohibebit aliud quid cogitare, quam quod sub appetibili specie irrepserit. Dum vero ita in nullo alio occupabitur quam illo quod libeat, id solum studebit, sentire, noscere, percipere gestiet; sedes vero libidinis in pectore utique videatur esse; eveniet, ut isthaec omnia in & ex pectore esse iudicata erunt. Erit insuper talis sui summus aestimator, sibi omnia agens, se ab omnibus separans, impatiens imperii, summam libertatem contendens, impotens ulli se adstringere ordini vel legi, nisi quantum expediat. Quae genuina, ni fallor, est effigies (a) Stoicissimi.

§. XI.

Licet vero infirmis adeo nitantur talis Stoicorum placita, summo tamen applausu fuerunt a plurimis approbata. Aristotelis quoque Philosophiae immista, magnam partem in Scholasticorum pluteis servata sunt, & etiamnum coluntur, ac colerentur amplius, nisi nova *Cartesi* philosophia obicem ei nonnullibi posuisset. Et hunc igitur, ne quid praetermitterem, adii, num ille certiora monstrare posset, quaerens. Is, (a) substantiae mentis, respondit, naturam & essentiam constituit

(a) Ita apud *Antoninum* inuenies phrasen eiusmodi: mentem nostram maxime venerandum, quemlibet esse mentem suam, menti imperari non posse. Et *Seneca*, Tibi te vindica. &c.

(a) *Princip. Philos.* I, 53, & 63. supposita *Meditatione* 2.

stituit ipsa (b) cogitatio. Cuius (c) modi sunt, primarii quidem, percipere & velle: quibus substant vero, illi sentire, imaginari, pure intelligere; huic cupere, auersari, affirmare, negare, dubitare. Atque vero in (d) cerebro, & quidem pineali glandula mens illa residet, ibique & percipit & operatur. Dum vero qui per sensus imprimuntur
 motus

(b) Cuius quidem logicam descriptionem non tradit, cum prima ipsi sit noscibilis veritas, *cogito ergo sum*, quae sua cuique conscientia clara & notior quam alia omnia *Princip. I. 7.* vnde & ipsa cogitatio notissima & simplicissima sit §. 10. & notior omni corpore §. 11. licet ipsa magis magisque cognoscatur, dum alia cognoscit, quod fere consonat cum eo, quod *Aristoteles* dixit, mentem sibi notam fieri assumptione intelligibilis. Quid vero ipse cogitationem appellet, indicat §. 9. & in *meditat. p. m. II. prope calcem pag. it. Epistol. II, 6. p. m. 19.* & se cogitationem ipsam mentem dicere, ut in hac nihil amplius sit, quam illa, clare etiam asserit in *Respons. septimis p. m. 102. Ff.*

(c) Attributa & qualitates se quoque appellare testatur *Princip. I. 56.* & recenset eos eo, quo retuli, ordine §. 32. ex attributis autem substantiam cognosci, notat §. 53. ubi etiam cogitationem mentis proprietatem dicit, ita tamen forte sumto vocabulo, uti §. 64. explicat, & uti dixerat mentem s. cogitationem, per cognitionem rerum, i. e. cogitationem, magis notam fieri. Ita saltem *Epist. 4. P. II.* testatur istud attributum seu proprietatem eiusmodi esse ut non possit adesse vel abesse.

(d) *Princip. IV, 196. De homine §. 28.* in quo tractatu glandulae pineali sedem animae praecipuam indubitato semper tribuit, ubi tamen id ex instituto deduxerit, me legere non memini. In *Epistolis* vero subinde mentio thesios huius fit, & defenditur etiam *Part. II. Epist. 40. p. m. 160, it. Epist. 36. & 50.*



motus (e) tales non sunt, qui veras rerum imagines repraesentare valeant, & tales etiam quales percipimus, patet (f) innatas dari ideas, easque non tantum (g) principiorum & veritatum Geometricarum, sed & aliorum omnium (b) quae non affirmationem vel negationem includunt. Licet illae (i) non ideo expresse actu & omni tempore a nobis cognosci praesumendae sint, sed tantum tales esse, vt ipsas absque vlllo sensuum experimento ex proprii ingenii viribus cognoscere possimus.

§. XII.

(e) *Dioptric. cap. IV. §. 6. Princip. IV. 189. & 197.* idque etiam agit deducere in *medit. 2. p. m. 12.* nempe alias nobis inesse ideas quam per sensus acquirimus. Optime vero haec explanat in *notis ad programma quoddam Belg, p. m. 184.*

(f) De hoc pluribus in *Meditat. 3.* vbi imprimis de DEI innata idea, de qua etiam in *Epistolis I, 81. & alibi.* Notandum vero non omnes ipsum innatas statuere ideas, sed alias etiam esse aduentitias, alias factas siue a nobis ipsis fictas asserit *Medit. 3. p. m. 17.* & innatas generaliter ait esse, *quae aliquas essentias veras, immutabiles & aeternas repraesentant.* Vnde eas alibi veritates videtur appellare aeternas. Quas DEVM creasse dicit in *Epist. I, 110. p. 351.* Et illas tamen etiam modos mentis tantum appellat in *eiusdem partis Epist. 115. p. 369.* Vti etiam de DEI idea loquitur *Ep. 95. p. 312.* Quae autem in *Tr. de homine* de formatione idearum tradit, non de perceptionibus mentis nostrae, sed de corporis nostri motibus sumenda esse docet etiam *Lud. de la Forge* in annotat. ad §. 76. pag. 138.

(g) Communes notiones & axiomata dicit *Princip. I 49.* De Geometricis veritatibus in *Epistola ad Voetium p. m. 75. seq. & subinde in Epistolis.*

(b) Ita determinat *Epistol. II. 55. sub fin.*

(i) In *Epist. ad Voetium p. 75.*

Considerans haec, Erudite Lector, id egisse putabis Cartesium, vt conciliatorem se praestaret eorum quae a Pythagoraeis, Platone & Aristotele dicta sunt. Dum enim mentem cogitationem dicit, cum Aristotele facit, qui eam etiam (a) scibilia dicit & (b) opera cogitationum. Platoni accedit, dum ideas statim inde a natiuitate in mente existentes statuit. Cum Pythagoraeis concordat, non modo dum tantum mentem sentire ponit, sed & dum mentem & vnum & multa esse asserit. Ita enim videtur, quando ideas innatas (c) negat diuersum quid esse a mentis facultate cogitandi, quam tamen ceu vnum quid & naturam particularem considerat. Licet nemini quoque non patere possit, quantum & in quibus dicta Cartesii ab illorum Philosophorum placitis differant. Quod me vero, quo minus statim ipsum sequerer, suspensum reddidit, erat illa definitionis mentis obscuritas. Neque enim simplex adeo videbatur notio, cogitare, vel facultas cogitandi, vt dum dico: cogito, tam manifeste mihi quid agerem obuersaretur, ac quidem fas erat mentem a se ipsa comprehendi. Equidem istud constat, dum

E

dico

(a) De anima III, 8. conf. supra §. 4. & §. praeced. not. (b).

(b) τὰ πρᾶγματα τῶν νοῶν. De anima III, 7. sub fin. conf. *Metaph.* XII, 7. & 9. Imo forte arctius etiam iis inter se conuenit, memini enim me legere alicubi in *Cartesii* scriptis, cogitationes, an ideas, nostras posse ad pauca genera reduci. Licet enim *Epistol.* II, 6. §. 3. p. 19. dicat se per cogitationem non intelligere vniuersale quid, quod omnes cogitandi modos in se comprehendat, sed naturam particularem quae recipiat omnes illos modos. Poterit tamen modorum genus esse aliquod non qua cogitatio & modus siue actus cogitandi de quo ibi sermo, sed qua sunt ideae innatae. Consentunt in eo etiam, quod intelligere sit pati, quod patere potest ex *Cartes.* Tr. de Pass. Anim.

(c) Vid. in *Notis ad Programma quoddam* p. m. 184. quae in Editione operum *Philos. Elzeuiriana* 1650, qua vtor, post *Responsiones sextas* exstat. Alias etiam reperitur in *Part. I. Epistolarum Editionis Elzeuir.* 1668. p. 316. seq.



dico: cogito, dico me agere cerebro, an capite, an anima, quam actionem si libeat mentem dicere, non quidem repugno: neq; id etiam pugno, quod actio, *ἐνεργεια*, facultas, possit substantia etiam aliqua esse; ecquis autem, dum dicit: cogito, existimat se nihil amplius dicere, quam ago? quod tamen si determinare velit, sentiet, credo, globum tenebrarum, loco clarae cognitionis, sibi obuersari, idque neque capitis, cerebri, cordis, animae, vel eiusmodi alius cuiuscunque adiectione clarius euadere. Equidem determinare potest, dicendo: dubito, volo, contemplor hanc vel illam ideam. At eo forte non magis determinaretur, quam si quaerenti, quid sit currus, responderem: est effedum, carpentum, pabo &c. actus enim tales cogitationum modos tantum esse mentis ipse Cartesius passim fatetur, eosque necessario tales, qui libere adesse atq; abesse possint. Id vero, quo cogitatio est quod est, inseparabile utique erit. Dicis: Sunt istud ideae innatae. Concedo, & ego ita statuere Cartesium existimo. Neque ipse tamen ita eas denominauit, ut clare illas perspicerem, & ita ipsos me complecti resciscerem, uti quidem necesse est mentem se ipsam complecti: neque ego me ipsum inspiciens innatas illas ideas determinare poteram. Vnde remota, quae dicta erat, cogitationis simplicitate, neque mentem adhuc me nosse existimabam.

§. XIII.

Quos conuenerim alios & quae responsa ab iis retulerim recensere supersedeo, ut taedium Lectoris anteuertam. Unica tamen adhuc de mente nostra opinio, quam *Malebrancbius* in lucem reduxit, non praetermittenda visa est, cum aut facem lucidissimam in sequentibus nobis praeferre, aut officias deterrimas obiicere posse videatur. Quae uti ex (a) Scholasticorum

(a) Conferri potest, si libeat, *Zabarella de mente agente* capp. 13. seqq. ad fin. ubi fuse probat, quod cum aliis asseruerat, *DEVM esse intellecte-*

rum quorundam placitis restaurata est, ita ex (b) Pythagoraeorum & (c) Stoicorum philosophia forte dimanavit, licet illi eam ab (d) Aristotele & Platone deriuare malint. Malebrantchius

E 2

intellectum agentem. Et, qui ab *Excellentiss.* horum Censore nunc supeditati sunt, *Piccolomin.* in *Physicis.* *Sonerus* ad *Metaph.* Aristot. de his plura docebunt.

(b) Dum omnia vnum esse dicunt, quae *Xenophanis* potissimum thesis fuit, de quo, quae huc facere possint, plura si recte recordor, tradit *Bailius* in *Lexico Hist. & Crit.* hoc artic.

(c) Ita *Antoninus de rebus suis* XII, 30. Vna est anima etiamsi naturis innumerabilibus & circumscriptionibus peculiaribus dispescatur. Vna anima rationalis, etiamsi dirimi videatur, vel dispertita in animantia rationalia, ut dicitur IX, 8. Ita multoties dicitur anima nostra ex DEO effluxisse.

(d) *Zabarella* l. c. cap. 13. Aristoteli quidem intrepide hanc doctrinam tribuit, & in Platone quoque se illam inuenisse rerur. Et *Aristoteles* quidem videtur id innuere, DEVM maxime intelligibile, dicens, utpote ens, & substantiam, & actum *Metaph.* XII, 7. 8. *prope fin.* cognito autem maxime intelligibili magis etiam nos cognoscere ait inferiora *de anima* III, 4. 7. attamen cum idem primum ens impartibile & indiuiduum esse asserat *Metaph.* XII, 7. *prope fin.* At *cap. 8. non procul a fine* hominum principium, ἀρχὴν (ita vero mentem appellat, tanquam ens, essentiam atque formam adeoque principium hominis, *conf.* I, 3. *prope fin.*) specie vnum, numero vero multa fateatur, imo *eod. cap.* extra hominem quoque plures admittat essentias quae simul actus sint & ἐνέργεια: non videtur DEVM eundem intellectum agentem statuere; potius vero mentis nostrae independentiam adstruere. *Platonem* quod attinet, *Ficinus* quidem etiam in iis, qui editioni, qua vtor, Lugdunensi adiecti sunt, commentariis, p. 789. 2. c. asserit eum *VI. de Rep.* DEVM dicere mentis lumen ad intelligenda omnia. Vti vero eo non diceret DEVM esse intellectum agentem, sicut neque lumen visus agens est: Ita tamen patet DEVM a Platone l. c. p. 479. b. solem potius ipsumque bonum quam inde manans lumen atque verum dici, *conf.* quae dicta supra ad §. 7. *not. (p).*

chius in sententiae suae societatem (e) Augustinum quoque aduocat, sed hunc alia longe agere, ipsum conferenti manifestum est. Ita vero se habent quae tradit Malebranchius. Mens, ait, (f) ignotae naturae spiritus, & (g) corpori religata, & (b) DEO

(e) Locum, quem allegat Malebranchius in *de Inquirenda veritate* p. 212. editionis latinae, equidem non reperi. Extat tamen concordans fere illi inter *sententias Augustini* Tomo II. Operum adiici solitas, num. 386. Caeterum dicit utique Augustinus DEVM ipsam esse veritatem atque sapientiam, cum quo vniti, seu, uti ipse loquitur, ipso participant, & veritatem demum recte & sapientiam contemplari possumus. Apparet autem eum de veritate & sapientia Christiana loqui, extra quam utique veritas nulla est, a qua nos peccato discedere, religione vero religari dicit *de vera religione cap. vlt.* cuius tamen particulas etiam impiis superesse forte statuit, lege np. naturali, quam inde etiam Spiritus S. dicit praesentiam esse *de Spiritu & litera cap. 21.* sicut sec. animam potissimum nos in DEO viuere & moueri asserit *de Trinitate* XIV, 12. Non tamen ideas rerum nos in DEO conspiciere statuit, ceu id satis patet ex libr. *de quantitate animae.* Vbi cum *cap. 5. & 14.* de infinita vi animae dixisset, indeque decreuisset animam ita non esse quantam ac corpus (quod sane nec posset concludere, si eam, quicquid infiniti simile habet, in DEO cernere statueret, neque in se id habere, a DEO enim diuersam eam esse passim diserte deducit.) nullam mentionem facit cuiusdam in DEO visionis, *cap. 33.* autem visionem & contemplationem veritatis, septimum gradum animae, vel potius mansionem esse dicit, & ita describit, ut pateat ipsum ea reparationem imaginis diuinae plenam intelligere. Tertium vero gradum animae, bonis ac malis communem, homini tamen proprium, ut bonorum plurimorum capacem describit, eaque animam DEO saltem innecti dicit *cap. 36.* Et sic in postremis *de Trinitate* libris se in creaturis & mente humana quaesuisse iudicia S. S. Trinitatis, ut per ea, quae fecit, cognosceretur qui fecit, ipse docet *de Trin. XV. 2.* Quod satis arguit eum creaturis creatorem non statuere notioem.

(f) Spiritum passim dicit, praef. *libr. IV. de Inquirenda Ver.* ignotae vero naturae eum quod statuatur arguunt satis quae in sequentibus dicun-

DEO arctissime vnita est id quod in nobis cogitat. Cum vero (i) impossibile sit, mentem quicquam a corpore excipere, aut ipsam fieri perspicaciorem atque est ab initio, sequitur neque per sensus quamcunque acquiri ideam aut notitiam, neque ab ipsa mente quandam produci. Vti earum quoque infinitas in primis suadet, quod nec concreatae, neque ex perfectionum mentis consideratione gignendae dici queant. Superest igitur, si nec ipsa mens in se quid hic polleat, neque ex coniunctione cum corpore ipsi notitiae quid accedat, ex [l] vnione cum DEO ipsam habere quod habet de rebus extra se positis. Ille nimirum tanquam [m] ens vniuersale, ideas omnium entium a se creatarum, tanquam perfectiones quasdam in se continens, menti nostrae (n) & per se cognoscitur, & per ideas illas reliqua notificat. Intercedit autem nihilominus inter ideas illas cum vestigiis per sensus in cerebro impressis cognatio

E 3

tio

dicuntur. Cogitationem eam appellat p. 178. sensus vero, imaginationes & cogitationes mentis modificationes appellat, quae ab ipsa intime percipiuntur, conf. p. 197.

(g) Ita a corpore eam pendere, & per corpus ab omnibus sensibilibus Lib. 5. cap. 2. adstruxit, & p. 117. vnionem illam consistere ait in correspondentia cogitationum cum vestigiis cerebris &c.

(b) Libr. III, Part. II, cap. 6 vbi addit DEVS est locus spirituum. vti spatium est locus corporum, plura V, 5.

(i) Libro II, Part. II, cap. 3. p. 117 §. statim.

(k) Isthaec fusius deducuntur L. III, P. II, capp. 2. - 5.

(l) Probat id III, 2. 6. & defendit in *illustrationibus* ad h. l. fundamentum monstrat etiam p. 335. dicens; cum mens non sit ens vniuersale, non videt in se res a se distinctas.

(m) III, 2. 8. it. cap. 5. §. Deum & c. 6.

(n) III, 2. 7. Vbi IV hos cognoscendi modos constituit, (1) per se, quo DEVS. (2) per ideas, quo corpora cum suis proprietatibus. (3) per conscientiam, quo mens nostra. (4) per coniecturam, quo mentes aliorum videntur.



tio aliqua siue analogia [licet proprie [o] nulla sit] [p] vel identitate temporis, quo cogitatio aliqua, simulque vestigii aliqua impressio facta, vti in metaphysicis potissimum; vel voluntate hominum & mutuo inter ipsos pacto, vti praesertim in moralibus; vel voluntate creatoris siue natura, vti in corporeis atque physicis. Ipsam vero mentem nostram non nisi per (q) conscientiam, vti mentes aliorum atque spiritus per coniecturam licet indagare.

§. XIV.

Accuratius quidem isthaec atque sigillatim expendere locus hic non est. Id autem ante omnia, cuius, ni fallor, dubium videbitur, qua necessitate ista tam arcta mentis cum DEO vnio statuatur? qua ratione illa primum fuerit cognita? DEVSne an illa prius innotuerit? Satisne infinitatem arguat non posse videre terminum, aut terminum, quem noris, posse non adspicere? Dein: An nunquam ab illa vnione desciscatur? Num etiam tum quid videamus? An vmbra videri possit sine luce? Tertio: Quanam vis mentis sit illa omnia in DEO perspiciens? Annon illa quoque lucis quid habeat, sicut oculis quidam volunt tribuere? qua ratione a DEO distincta etiam sit? Num quaedam inter hanc & DEI essentiam sit cognatio? Porro: Qui fiat vt a (a) corporeis sensibus & imaginationibus ita mens modificetur, vt incapax sit interea alia suscipere, imo contemplationi incumbere? Num forte ipsa sit corporea? & cur DEVS non aequae prope adsit corpori, quam menti? Inde: Num mens a DEO sine idea quadam sit creata? cur non illam quoque in DEO videat? aut cur (b) velit DEVS corporea nobis magis nota esse quam spiritualia?

(o) Pag. 117. §. statim & alibi etiam.
 (p) Pag. 18. sq. nempe Lib. II. Part. II. cap. 3.
 (q) Adeoque imperfecte, vti ipse explicat p. 216.
 (a) Ita enim statuit ipse Malebranchius.
 (b) Ita enim videtur Malebranchius voluntatem DEI limitem constitucere nostrae scientiae,



lia? Denique: quidnam sit, quod in ideis cognoscimus, num diuersum a mentis nostrae (c) illis modificationibus? Annon colorum, sonorum, & qualitatum aliarum quoque ideae dentur? Cur i&terico res flauae appareant? num rei tum an coloris ideam aliter videat mens eius? an vero sensus solum aliter nunc mentem modificet ac olim, licet eiusdem rei sit? Isthac ego quidem considerans, quo ista de mente doctrina nitatur aut niti possit, nullum reperi fundamentum.

§. XV.

In tanta vero sententiarum diuersitate, difficillimum iam videbatur veritatem assequi. Referre igitur pedem meam mihi suadebat tenuitas, & quod tot tantique viri determinare non potuerint, inter ignoranda collocare. Attamen videbar mihi in singulis istis opinionibus sensisse nihilominus allubescens quidpiam & irrefragabile, vnde animum resumere persuadebar, si forte, quod omnes nosse oportebat, id, dum omnes nesciuisse videbantur, nemo ignorasset. Etenim alte iam a longo tempore animo infixum sedebat, quod e (a) Proclo, egregio illo Philosopho, alicubi relatum legeram; *perfectam cognitionem tum existere, quando cognoscens unum factum fuerit cum eo quod cognoscitur.* Omnino quippe videbatur illa demum res vere cognosci, quam vndique ambiendo, permeando cognoscens conspiceret. Vnde neque mirum videbatur res extra nos positas tam tenuiter cognosci, vt & de existentia cuiusque nonnulli dubitare potuerint. Cum vero nihil adeo mentem nostram complecti appareret quam se ipsam, illam se minus etiam quam alia nosse credere non poteram. Assumptis igitur, quasi in viaticum, illis Philosophorum placitis, pergendo qua coeperam itinere me accinxi.

§. XVI.

(c) Ita ad has refert sensus voluptatis, doloris, caloris, colorum p. 217. de I. V.

(a) Ex eius *Theol. Platonica. II. 1. pag. 76. coll. Instit. Theol. eiusdem c. 83. pag. 451.*



De mente, vti dictum, id constiterat, esse eam quae oblatas per sensus species sistere, suscipere, aut retinere posset. Quae virtute autem id posset, longius petere propositum erat. A cognitio ad incognita erat procedendum. In illis erant species rerum sensibilium & earum apprehensio. Ex hac igitur ad apprehendentis notitiam iter tantum patebat. Neque id saltu quodam opus habebat. En dum quid apprehenditur agit alterum, alterum patitur. (a) quatenus vero quid commune est duobus, eatenus saltem hoc quidem agere efficaciter, hoc vero pati potest. Ergo mens commune quid habet cum speciebus. Ergo in natura mentis quid est quod in speciebus est. Quidnam vero illud? quid sunt species? In speculo forte diceret reflexiones radiorum lucis ab obiecto illuminato in rem partim pellucidam partim luci imperuam immissorum, atque idem quoque, ni fallor, dici potest de speciebus, quas oculi nostri recipiunt. De reliquis autem nihil horum quod asseri queat, video, nisi in eo forte conueniant omnes, vt, sicut visibiles nihil aliud sunt quam lux varie reflexa, ita reliquas etiam constitueret motus aliquis, illi, qui lucem forte constituit, non dissimilis. Quod enim obuerti posset tangibiles ab habitudine superficialium adeoque a ratione compositionis rerum, neque ergo a motu esse, parum forte officeret, siquidem inter antiquos etiam esse recorder, qui lumen vinculum vniuersi dixerint. Effet igitur id quo mens species sensibiles apprehendit, lux, vel quid eiusmodi

(a) Ηί τι κοινόν ἀμφοῖν ὑπάρχει, τὸ μὲν ποεῖν δοκεῖ, τὸ δὲ πάσχειν. Aristotelis est axioma de anima III, 4. 12. nec dissentit Plato in Parmenid. p. m. 63. g. Itaque Actuarius de spiritu animali lib. I. cap. 3. dicit: τῆ κοινωῖα τῶν φύσεων ἕκαστον τῶν αἰσθητικῶν καὶ νοεῶν ἐπιγινώσκωμεν. Communione naturarum sensibilium & intelligibilium quodque cognoscimus.

modi. Atat illaene quas in mente nostra deprehendimus species nihil aliud sunt, quam lucis variationes, aëris modulationes, superficierum contextus, transpirationum receptiones? Num haec charta nihil aliud in mente mea sistit, quam album, extensum, quadratum, laeue, tenue, aequale, duriusculum? Imo vero isthaec omnia etiam vnum videntur, & res, atque corpus, & substantia, & existere, & generari, & corrumpi, & id genus alia. Sed quaenam isthaec sunt? Vnde haec rescivi? Num per oculos? Ita est, vnum video. Sed fallor, lucem video. Vbi haec recesserit, neque vnum, neque duo, vllusue numerus alius apparet. Video ens tamen dum lucem video, sed adfui videre se dicentibus, quae ego nullo plane sensu percipiebam: illi contendebant se ens videre, videre ipsos negare non poteram, ens vero ipsos videre negabant etiam alii omnes. Ita generationem, corruptionem, augmentationem, vel actionem quamcunque non magis videre quam audire vel tangere me posse nosco. Neque auribus, vel lingua, vel naribus, vel manu, substantiae, entis, unius, corporis cognitionem me nactum esse dicere bene poteram. Colligere autem ista, componere, abstrahere ex visis, auditis, aliove sensu perceptis ipse mihi videbar. Vnde quidem ipsa in rebus sensibilibus existere negare non poteram, licet num citra mentis meae operationem alicubi existerent, non aequè proclive erat determinare. Vnde in tantum quoque mihi succurrebat, quod Philosophi dixerant, aliud esse in mente nostra, quam quod per corpus aduenerit, vel ideas nostras & conceptus mentis per sensus acquiri non posse. Id quod satis etiam stabilitas idearum illarum indicabat, cum tamen res praesentarent, quas in dies alias omnes sensus testabantur



tur esse. Ita enim Petrum semper Petrum dixeris, licet nunc puer, nunc iuuenis, nunc vir, nunc senex, nunc albus, nunc flauus, nunc nigricans, nunc glaber, nunc asper & rugosus, nunc crassus, nunc macer sit. Ita eum, his non obstantibus, eundem semper hominem, idem corpus, idem ens esse iudicas. Imo tam proni sumus ad istud de quibuscunque pronunciandum iudicium, ut paruuli quoque quodlibet *hoc & ens* nuncupent. Dicimur autem, & nobismet ipsis videmur, omnia isthaec *ratione* colligere ex sensibilibus. Quid vero ista ratio? dicimus eam, ni fallor, omnes vnum quid, sub quo vnita noscuntur & id quod colligitur & id ex quo colligitur. Ita dum chartam corpus esse colligo ex sensibilibus eius qualitatibus, ratio est vnum illud, sub quo sensibiles illae qualitates & corpus, quod dicitur, cohaerent. Ambo autem isthaec vnum esse per omnia, negabamus paulo ante. Sed & id negabamus, esse in sensibilibus id quo corpus est quod est. Atque ita, nisi sensibilibus substituatur id quod corporis est, in nullo vnquam isthaec vnum euadere poterunt. Tum vero, vbi hoc iis substiterit, nemo vnum illa esse negabit. Id igitur quo vnum sunt, erit ipsum quo corpus est quod est, id vero quid aliud quam ipsum corpus? erit igitur ratio ipsum illud quod colligitur: nulla alia differentia; quam quod, qua ratio, iam ante nobis inextiterit, qua collectum vero, nunc demum nobis innotuerit, collectio autem erit rationis applicatio ad hoc obiectum. Colligens vero erit ipsa mens extra dubium. Haec igitur substituit sensibilibus id, quod per sensus non acceperat, haec applicat rationem sensibilibus. Ergo in ipsa existit id quod ipsa substituit & applicat. Verum tamen licet nunc non a sensibilibus chartae huius habeat id quo iudicat corpus eam esse,

esse, poterit tamen olim per sensus acquisitum id reposuisse, nunc applicandum. Agedum igitur videamus, ecquidnam corporis conceptus sensibus debeat. Sistit is, ni fallor, omnibus substantiam materialem siue ex pluribus materiae partibus compositam. Num compositio quid in se habet, quod per sensum patefiat? quid illud sit certe non nosco. Substantiam autem dico id quod sensibilia suffulcit, iisque substat, haec igitur proprie non sentitur. Sed in materia sane extensionem, impenetrabilitatem, & si quid aliud sentimus: verum his tamen etiam esse aliquod substituimus, sine quo illa non existere posse sumus persuasi. Erit igitur corporis conceptus in tantum a sensibus, in quantum extensionem &c. inuoluit. Quatenus autem conceptus dici meretur, nihil sistet quam substantiam ex substantiis compositam. Quo igitur omnia redeunt tanquam in vnum atque rationem illam, qua mens colligere dicitur, erit substantia siue *esse* illud, quod mens omnibus, quae per sensus nobis immittuntur, prompta est substituere. Erit ea propter in mente nostra ipsum illud *esse* intime fixum atque cognitum. Quae veritas adeo simplex est, vt eam agnoscere nemo non possit. Num autem id omne est, quod in mente deprehendimus? en est in ea etiam id, quod componit, substituit & applicat istud iis quae per sensum acquiri admisimus. Huc quippe omnes mentis operationes quas nouimus resolvi, ne prolixiores simus, supposuisse hic sufficiat.

§. XVII.

Agens vero istud, lector beneuole, operam dabimus, num ex patientis natura rursus cognoscere possimus. Est hoc, vt vides, ipsum esse & sensibilia. De sensibilibus iam ante diximus, ea motu quodam luminoso constitui. Adeo-



que essentias eas statuimus esse, quibus quippe proprium aliquod esse substaret. Sic enim lumen, atque id quod mouere potest, ut substantias concipimus. Si vero nostros de sensibilibus conceptus consideremus, aliter de iis statuere necessum habebimus. Non enim vt essentias illa mente concipimus, sed vt essentiarum limites, terminos, extremitates, respectus, &, sit venia verbo, desinentias. Patitur igitur in mente nostra, dum ens sensibilibus substituitur, & ipsum ens & huic affine non ens, si ita quidem loqui liceat. Vtrumque vero in mente nostra esse vidimus. Quod igitur in haec agit, & huic illud iungit vel substituit, hisce simile, & ipsum ens erit, cui affine sit non ens. Et numquid adhuc aliud? Certe mens & fines eius non poterunt melius vniri & vnita existere, quam sub eo, sub quo haec sunt coniunctissima. Istud igitur ens vel *esse*, cum & ratio sit atque vnum sub quo concurrunt omnia, erit & illud quod & apprehendit & efficit, & unit, & sub se tenet ac retinet species rerum omnium. Quod vero mens sit *esse* tale *simplicissimum*, quis est, qui ignorat? nisi quem pudet rescuisse simplicitatem.

§. XIIX.

Nimirum cum mens nostra, ut ens, sibi intime quidem sit notissima, dum tamen finita est, entis sui limites quoque nescens, non entis accipit conscientiam. Et est ipsi nō ens quicquid non est ipsa. Cuius cum ipsa terminum non assequatur, fertur tamen, nescio quo impetu, semper in infinitum. Vbi eorum, quae ipsa non est, varietate detenta, se ipsam quasi obliuiscitur, a sua simplicitate desciscit, imo odit eam. Licet non enti ita intenta ipsa fateri necesse habeat, umbras esse omnia, vaga & fluxa, nihil esse & existere. Moderatius autem hic procedens, adque se ipsam & id quod

sup

quod



quod est subinde reflectens, siue se ad omnia afferens, cognitionem iam atque scientiam acquirere incipit. Quam quidem nihil absoluit aliud, quam ordo ille, qui in rebus ipsis existit, menti innotescens. Id quod sane numerorum ratione fit, quorum notitiam ex se ita sortitur, dum ens enti addit. Et sic cum non ens etiam noscat, non, ut non ens, sed quatenus sibi affine; cum id adeo de ente participare videatur, eatenus ens etiam dicit, nosque *accidens* fere appellamus, variam nempe entis ad non ens & non entis ad ens relationem. Idque adeo ut ens etiam in tantum tractat, huius aequae ac illius, ratione numeri, classes constituens. Dum autem promiscue res sibi obtingentes ad se quidem omnes refert, non tamen statim noscit, quoties ens in singulis sit. Id quod demum multo labore, quam ratiocinationem dicimus & paulo ante descripsimus, indagat: inde est, ut non statim sciens dicatur, & differentia nascatur inter doctum & indoctum. Vides itaque studiose Lector! naturam mentis in ipso *esse* consistere. Quod vero supra reperiēbamus quandam lucem esse id quod sensibilia apprehendit, id quidem mens ipsa non erit, per ea quae §. XV. dicta sunt, dum videlicet istam in mente nostra non agnoscimus, atque erit hoc forte, quod cum bestiis commune habemus. Coniunctum autem quoque menti videtur, ut per quod menti suppeditantur ea quae sibi subordinet.

§. XIX.

Reperimus itaque, Divina opitulante gratia, non modo principium cognitionis nostrae, quod primario quaerebamus, & id quod retinet & moratur species, sed & modum quo ea existit, & licet adhuc obscurius aliquantulum & non nisi in generalibus patefcens, obiectum eiusdem.



Eritque igitur *cognitio* nostra nihil aliud quam *applicatio* entis ad *sensibilia*.

§. XX.

De obiecto explicatius in vniuersum quidem agere nostrum non patitur institutum, qui de aliquo peculiari saltem, quod *sacrorum* nomine indigitare placuit, nunc dispicere ocepimus. Antequam igitur hic etiam longius progrediamur, illorum quoque natura, quantum quidem nobis hac in cathedra licet, considerata erit.

§. XXI.

Dicitur nimirum *sacrum* principali suo significato, quicquid vel ab usu, vel a commercio, vel a consortio hominum siue omnium, siue multorum quomodocunque separatum est. Vno igitur nomine complexuri, quicquid ad salutem nostram procurandam pertinet, vnaque autorem eius, & quae in vniuersum spiritualia dicimus, *sacra* optime ea dici posse putauimus, quippe *quae ita*, prout omnibus id patet, *a rerum nostrarum consortio sunt separata, vt nullo certe sensu queant attingi.*

§. XXII.

Vtterius autem eorum naturam inquirere, atque etiam num entia solum sint, numquid amplius, determinare huius loci non est. Satis ut puto, ex his quae dicta constare iam poterit, quod quaerebamus, quousque nempe mens nostra tantorum bonorum recipiendae cognitioni sit idonea, i. e. quatenam sit cognitionis nostrae circa *sacra* conditio, & num ea quoquo modo naturalis existat. Equidem non omnia, quae ratione participare in actionibus nostris conspiciuntur, a mente nostra proficisci, etiam pagani agnouisse videntur. Plato (a) certe

(a) In *Menone* sub fin. p. m. 24. c.



certe rectores rerumpublicarum multa maximaque, di-
 vino afflato Numine, *Deoque penitus occupatos*, ait, di-
 cere & facere, quae ipsi non intelligant. Virtutemque
 dicit neque natura, neque doctrina, sed *absque mentis opera,*
divino nutu accedere, si cui obtigerit. Atque ita quantum
 illi divina e nostrarum rerum contactu & consortio credi-
 derint remota, monstrare videntur (b) illae simulacrorum
 atque idolorum quoque occultationes, abstrusae cultus ce-
 remoniae, fanorum seclusiones. Et sic Deos quoque & deas
 libere videre, nisi *divina voluntate*, nemini quod liceat,
 Saturnia lex dicitur apud (c) Callimachum. Verum ta-
 men, uti cultus illi mystici & arcanorum disciplina ex
 pueruo saltem fonte, & *κακοζηλία* eorum, quae in Iudaica
 gente fiebant, manasse videntur: ita Platonis illa ioco
 forte dicta sunt, & vt quosdam exagitarer. Certe non
 videtur asserere, quendam quid intelligere sine parte illa
 animae intelligente: sed mente tantum rationibus sci-
 enter instructa destitutos, ex opinione bona *ευδοξία* & be-
 neplacito quosdam virtutis speciem, casu siue diuina di-
 spositione, consequi. Vnde a paganis quidem nobis hac
 ex parte nihil luminis clarioris cernitur affulgere, saltem
 non

(b) De quibus Ezech. *Spanhemius* in obseruat. ad Callimachum
 pag. 587.

(c) Hymno in lauacrum Palladis vers. 100. ubi ipsa Minerva
 introducitur isthaec referens Chariclo nymphae, matri Tiresiae, qui
 ipsam lauantem forte videns oculos amiserat: ait autem.

Κρόνιοι δ' ᾧδε λέγοντι νόμοι.
 Ὅς κέ τιν' ἀθανάτων, ὅκα μή θεός αὐτός εἴηται,
 Ἀβήσση, μισθῶ τῶν ἰδέν μεγαλα.

Plura hanc in rem etiam ibidem suppeditat illustris *Spanhemius* in
 observationibus pag. 610. seqq.



non patet ipsos cognitionem ullam aliam quam omnino naturalem agnouisse.

§. XXIII.

Nos vero memores instituti nostri, equidem etiam determinare de hoc non poterimus, sed philosophice tantum de nostra in sacris cognitione pertractantes, nostro quod satis est officio praestitisse censebimur tum ratione originis, tum ratione subiecti eiusdem, si ita circa ea fuerimus versati, ut quilibet qui id agit & agere potest planissime perspiciat, numquid & quantum salutaris illa sacrorum cognitio vel originis petere a cognitionis humanae naturalibus principiis, vel loci obtinere in ordinariis hominis facultatibus queat. Id quod ex iis, quae nos quidem posuimus, cuius facile manifestum.

§. XXIV.

Nimirum cum duplex quidem cognoscendi principium agnoverimus, sensum atque mentem, istaque ita concurrere deprehenderimus, ut sine alterutro cognitio naturaliter nulla queat esse: sane si sacra a sensibus nostris remota plane sint, neque inde cognitio illorum poterit oriri. Equidem dum mens applicat esse rebus, agnoscit eas sine isto non existere posse, cumque ipsa id eis, prout extra ipsam sunt, non det, aliam eius causam ipsis existere ratiocinatur, quae & ipsa ens sit. Num tamen eo cognitionem DEI, & quamnam, acquisuerit, quis qui potest iudicet. Ita dum vim intelligentem, in qua proprie fit nostra cognitio, ipso puro esse eoque finito constitui agnouimus, Sacra, dum entia sunt, eatenus utique cognosci posse certum est. Num autem eo natura ipsorum absoluat, & numquid amplius mens de iis concipere possit, cum, uti dictum, huius loci non sit definire,

finire, alii tamen qui id possunt, ex his facile decernent. Cum etiam mentem siue esse illud agnouerimus tanquam id quod species rerum omnium retineat & sistat, licet non diffiteamur, eas quatenus sunt species, sine corporis concursu, vti non acquiruntur, ita neque retineri: Sacra quandoquidem per sensus non acquiruntur, num sine organorum cerebri concursu in puro ente asserventur, an aliquatenus ista concurrant, aliis itidem facile patebit.

§. XXV.

Et ita quidem secundum ea quae ipsi posuimus. Cum vero alia quaecunq; philosophia receptior sit, aliis studiosius habebimur, aliis nostra quoque explicatius tradidisse censebimur, ubi secundum aliorum de mente & cognitione nostra placita rem deduxerimus. Vbi tamen vt fastidiosam prolixitatem euitemus, de retentione idearum sacrarum postremo seorsim dicturi, de acquisitione earundem ita tractabimus, ut in duas classes distributis philosophorum sententiis, quid cum quauis stare queat ea qua fieri potest breuitate consideremus.

§. XXVI.

Nimirum Malebranchii, & illorum, qui Deum pro mente in nobis quomodocunq; supponunt, dogmatibus plane reiectis, quippe quae nulla plane veritatis specie sese vlli commendare facile queant; reliquorum placita eo concurrere videmus, ut aut omnia extrinsecus acquiri dicantur, neque quicquam in mente nostra ante sensum existere; aut connatae nobis & insitae inde ab ipsa usque nativitate ideae rationes vel principia statuantur. Illud nobis supra Stoici asserere visi sunt. Et nuper etiam id summo ingenio & magna cum industria euincere allaborauit Celeb. Anglus *Iob. Lockius*, Hoc, quorum sit, nemini ignoratur.

§. XXVII.

Prior sententia id agit ut omnes species & ideas nostras

G

stras



stras aut perceptione, aut abstractione, aut compositione gigni dicat. Iam perceptione certe sacrarum rerum notitiam non acquiremus, cum extra sensum nostrum sint positae. Licet enim auditu dicas eas nos accipere, en verba & quae auditus percipit soni tantum sunt, quos nisi mens cum re aliqua olim per sensum quemcunque patefacta iamdum coniunxerit, inanes erunt, & nullius rei, praeterquam sui, notitias producent. Et similiter neque potis eris rem per vocabulum signatam cuius explicare, si alias per sensum nullo modo nosci possit. Sed abstractione forte accedet, abstrahuntur autem, vel a materia vel a toto, aut formae, naturae, actus, ἐνέργεια, λόγοι, ἐντελέχεια rerum; aut earum partes, accidentia, proprietates, perfectiones, respectus, potentiae, operationes, communia, peculiaria, causae & principia. His igitur si sacra sint accensenda, dicendum erit, unde abstrahantur, & si qua abstracta videantur, num ipsa sint verae sacrarum species an similes & homonymae. Quid quod cum abstracta etiam non aliter intelligantur & considerentur, ex hypothese, quam prout per sensus innotuerunt, & sic oporteret aut sensibilia esse sacra, aut saltem in mente nostra, nec ullibi alias existere, quod quivis dicere horrebit. Si igitur neque percipiendo neque abstrahendo sacra innotescunt, quomodo compositione vel fictione id fiet? Componuntur enim aut res ipsae, ut aurum cum monte; aut abstracta, ut ἐνέργεια cum causa, vnum cum ente, viuum cum bono. Sed & ut de veritate vel falsitate harum compositionum non, nisi ex iis quae sensu percepimus, iudicare poterimus: ita quidem etiam v.g. causae vel entis universalis notitiam acquires, a qua verus conceptus DEI quid differat, Christianum non poterit latere.

§ XXVIII.

In altera classe differunt nonnihil sententiae. *Platonem* si sequaris, licet concedam non fabulosum esse, quod de acquista

quisita antehac animæ nostræ notitia ex conuersatione cum ideis exemplaribus in mundo intelligibili existentibus statuit: licet etiam non negem vidisse ibi animam omnia illa quæ sacra dicimus; (quantum tamen id a Theologia abhorreat, cuius planum est) vbi quaeso ectypum aliquod sensibile existit, quod illorum refricet memoriam? An vero nudi verborum, foni id poterunt? sed vereor ne fateri cogamur, vocabula, quibus sacra signamus, sensibilibus potius ideis a nobis coniungi solere, adeoque has potius, quam illas sacrorum notitias, excitare. *Cartesio* autem si credas, a DEO ipsi animæ inde a nativitate inditæ sunt ipsius DEI aliorumque plurimorum ideae, quas mens se ipsam contemplando resuscitet. Quales autem illae ideae sint, & num ea rite repræsentent, quæ sacra dicimus, vbi perquisiveris eos, facile reperies. Certe Platonem, Pythagoram, Aristotelem, aliosque Philosophos, licet eos constet in mentis suae vires studiosissime inquisiuisse, non tamen dixeris eos ideas illarum rerum quas Sacras dicere convenimus, deprehendisse. Atque ita etiam iudicare poteris, quid iuxta eorum sententiam sequatur, qui principia & rationes innatas statuunt, quos inter sane *Aristoteles* videtur esse. Etenim quousque rationes illae Sacris etiam communes sunt, aderit cognitio; num alicubi vero deficient, vel ex Aristotelis de DEO placitis poteris indagare. Atque sic sufficienter forte dictum erit de nostra in Sacris cognitione, iuxta Philosophorum placita, qua acquisitionem eius.

§. XXIX.

Memoriam quod attinet, de ea Philosophorum placita, quantum quidem ea recordor, forte eo reduci poterunt, vt aut eam a mente coniuncta corporis vel cerebri organo, constitui, aut in sola mente versari dicant. *Alter* itaque sententia docebit memoriam in eo consistere, quod anima, cum semel per sensus



fus mediantibus nervis ad cerebrum perlato motus animad-
 verterit, eorumque differentias notarit, eos dein rursus pro-
 ducere valeat, siue sponte, siue incurrente in sensus aliquo,
 quod eum istis similem motum exercet, vel quod pristinorum
 idearum aliquid connexum secum affert; id quod sigillatim
 quoque Reminiscencia dicitur. Quibus stantibus, siquidem
 certum per sensus de Sacris nobis nihil proprie patefieri, nisi
 verborum sonos per aures, vel literarum ductus per oculos,
 num in horum, quos excitant, motibus rei iis signatae ideam
 servare queat anima, dubites merito. Quod si vero ab al-
 tiori virtute motus alios istis verborum motibus iungi & in-
 tus in nobis produci dicas, an & quatenus mens propriis vi-
 ribus eos renouare possit, non perspicies, nisi noris, quate-
 nus res ipsas per illos innotescentes capere queat. An vero
 res Sacrae utpote immateriales corporeo motu plane non in-
 notescunt, uti de quibusdam saltem diceres? Ita vero earum,
 iuxta hypothesein, nulla plane esset memoria. Mentem e-
 nim ex se cerebri fibris quidquam imprimere, quod per eas
 non ante acquisiverit, simplicitas eius non permittet. *Alte-
 ram* igitur forte amplecteris sententiam, inque sola mente
 memoriam residere dices. Sed uti penes mentis stabilita-
 tem memoriae labilitatem naturaliter stare non posse ipsa
 probat experientia; Ita num in Sacris res aliter se habeat tu-
 um erit definire.

§ XXX.

Ita vero satis iam, fauente ita diuina Gratia, mentis
 nostrae capacitatem & respectum erga sacrorum cognitionem
 denudasse & ostendisse censebimur. Si extra cancellos meos
 prospicere fas sit, ex his forte cognitionem in sacris menti no-
 strae naturaliter quidem non contingere, si tamen in subiecto ex-
 tra gratiae statum versante habitare videatur, aut nullam eam ef-
 se,

se, aut imperfectam, aut veram iudicabis. Quod si quae
posui isthic non displicuerint, gaudeo. Si qua minus pla-
ceant, sponte concedam docenti
meliora.

Gratias Tibi, Trinune DEVS!

Conspectus totius Dissertationis.

- I. Occasio Dissertationis.
- II. Partitio dicendorum.
- III. Peculiaris mentis nostrae natura.
- IV. De ea Aristotelis sententia.
- V. Circa illam dubia quaedam.
- VI. Pythagoraeorum de mente nostra doctrina.
- VII. Platonis de eadem traditio.
- VIII. Circa eandem dubia quaedam.
- IX. Stoicorum de mente placita.
- X. Ea expenduntur.
- XI. Cartesii de eadem Philosophia.
- XII. Obseruanda circa eam.
- XIII. Malebranchii de mente opinio.
- XIV. Eius breue examen.
- XV. Ex his ad naturae mentis verae perscrutationem transitus.
- XVI. Sensus & Ratio quomodo fiant.
- XVII. XVIII. Ipsa mentis agentis natura eruitur.
- XIX. Definitio cognitionis humanae.
- XX. XXI. Quid nobis sit Sacrum.
- XXII. De Sacrarum cognitione Paganorum sententia excutitur.
- XXIII. Ad nostrae de illa sententiae explicacionem transitio.
- XXIV.


XXIV. Illa philosophice proponitur.

XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. Quid secundum Philosophorum de cognitione nostra sententias, circa illam, quae in sacris nobis competit, dici queat, breuiter panditur.

XXIX. Speciatim de vi retinente sacrorum cognitionem, siue de eorum memoria.

XXX. Dissertationis conclusio.

Παράρτημα]a operarum haec & alia B. L. ipse vt emendet petimus. Nempe p. 2. lin. 16. legat *calori*. Pag. 9. in notis l. 9. *diuissime scribit animam*. Pag. 26. in not. l. 10. pro *nec lege* &. Pag. 39. §. 15. l. 20. *itineri*.



XIX

